PAVSANIAE

HISTORICI PRAECLARISSImi Commentariorum Græciam describentiũ, ATTICA & CORINTHIACA,

A DOMITIO CALDERINO VEronensi quondam latinitate donata, nunc primum ex collatione ad Græcum exemplar innumeris quibus scatebat hactenus mendis repurgata.

Vna cum rerum & uerborum memorabilium Indice.

Cum gratia & priuilegio ad triennium.



BASILEAE.







IOANNI HENRICO RYHINERO, OPTIMAE SPEI PUERO Ioannes Oporinus S. D.



VOD de Hercule ac Theseo ueterum literis proditum est, Ioannes Henrice charissime, multum illis negotij exhibuisse uaria mõstrorum genera, quę tamen passim extirpanda cũ occurrerẽt, sua illi uirtute & superarint, & è medio sustulerint, ut nõ parum alteri Gręcia, alteri totus ferè orbis debere, magno utriusq; merito uideretur: id inquã cum apud me cogito, facere non possum quin & uirtutem illorum, ac tam in suos quàm alios beneficentiã admirer, & eorum quoque de quibus ita præclarè illi sunt meriti gratitudinem extollam: quippe à quibus etiam aræ illis constitutæ, diuiniq; honores exhibiti sunt. Verumenimuero si parua conferre magnis licet, non dissimile eorum esse fatum existimo, qui restituendis subinde atq; ab interitu uindicandis optimorum scriptorum reliquijs diligenter incumbunt, dum in conficiendis tot ubique mendarum portentis, quib. ferè à maioribus uelut per manus tradita nobis superiorũ ætatum monumenta scatent, tantum illis tædij, tantum molestiarum deuorandum est, tantum laboris impendendum, ut ipsi se plerunq;, dum prodesse alijs nimiũ student, unà conficere uideantur. Et quod est omnium maxime dolendum, paruam ferè tamen hi gratiam, & apud paucissimos quoq; merẽtur. Tanta est enim multorum hodie, & fuit hactenus etiam peruersitas, ut non solum nunquam sibi à quoquã satisfa-

ctum esse libenter fateri in animum inducant, sed & calumniari tantum aliorum industriã, non uerò præstare ipsi aliquid melius, identidem pergãt. Itaque ut non dissimili Heroibus istis, quos dixi, fato postremi illi agitari uidentur, ita nimis profectò impar esse atque indignus eorundem meritis successus plerũq; consueuit. Atq; hoc sanè tametsi sæpius ipse mecum reputo, quamq; inhonestum atq; improbum sit, suo quenquam studio multorum liuorem incurrere, iam aliquoties expertus animaduerto, nequeo tamen, cum in id genus corruptionum incido, quin et uires ipse meas (quamlibet exiguas tamen illas) strenue explorem, & lubricam illam iudiciorum aleam, duntaxat studiosorum commodis aliquantum per me uti cõsulatur, meo etiã præsenti sæpe cum discrimine subire non dubitem. Id quod ut hactenus non semel, ita nuper etiam mihi accidit, cum et in Plutarchi uitarum Epitomen olim à Dario Tiberto cõscriptam, & Pausaniæ Attica atq; Corinthiaca per Domitiũ Calderinũ latinitate donata incidissem: in quibus suo nitori restituendis, quantum nobis operæ ac studij ponendum fuerit, testari facile poterunt, qui nobis dum utrunq; excudi curauimus adsuerunt. Nulla erat periodus, nullus uersus, in quo non execranda librariorum ignauia sese proderet: ut sæpe non per negligentiam commissa, sed studio atque industria inuidorum, ne quis uti illis cõmodè atq; absq; magno labore posset, deprauata pleraque existimauerim. Et sunt sanè talia quorundam ingenia, ut ueluti canes in præsepi, quibus ipsi rebus uti nequeunt, earundem usum alijs quoq; inuident, atq; interuertunt. Dedi itaq; operam ego pro uirili

quidem

quidem parte mea, ut in studiosorũ manus uterq; hic liber hoc tempore à mendarum labe purgatus prodiret: diuersam tamen in nuncupandis illis rationem secutus. Vt enim alterum, principũ Græci Latini que nominis uirorum complectentem uitas, Principi quoq; uiro dedicare uisum est: ita alterum, magnas atq; memorabiles ipsum quoq; cum primis Atticorum & Corinthiorum res describentem, tuo nomini inscribere placuit, chariss. Ioannes Henrice, non quidem quod ætati tuæ adhuc tenerrimæ, atq; ingenio uixdum mediocrium rerum capaci conueniret iam: sed quia & stimulum tibi esse ad grauiora quandoque studia (ad quæ tuus te pater non extremæ in Repub. nostra existimationis uir, et à cuius autoritate nostrorum fere studiorum successus pendere uidetur, fouere atq; prouehere, ita ut cœpit, nõ desinet) quamlibet exiguum in speciem libellum hunc posse sperarem, & expectationem de te meam abunde declaraturum arbitrarer, quam nõ ita pridem ex recitatione illa publica certe singularem quandam concœpi, fore ut in magnũ aliquando uirum, ac Reipub. nostrę ornamentum euadas. Atq; id quidem certe ita demum existimabis futurum, mi Ioann. Henrice, si ea qua par est modestia atq; industria, ipsam studiorũ atq; bonarum artium ueritatem amplecti toto pectore, non inanem uulgi persuasionem, ac ridiculam eruditionis speciem (ad quã solam plerosq; hodie contendere, eácq; adepta uenditare sese, magno cum literarum detrimento uidemus) cõsectari sedulò instituas. Vale. Basileæ, prid. Calend. Aprilis.

M. D. XXXXI.

PAVSANIAE VITA EX VOLATERRAno & Philostrato.


PAVSANIAS *Cæsariensis grammaticus, æqualis Aristidis, scripsit de Constructione lib. I. Problematum item I, ut author Suidas. Hic Hadriani principis tēpore Romæ uixit, scripsitq; uniuersæ Græciæ περιήγησιν, id est geographiam, cum eius historijs: quod opus adhuc extat. Philostratus de eo paucis mentionem facit, quæ nos hoc modo conuertimus.*

Cæsarea Cappadociæ, patria Pausaniæ fuit, Herodis discipuli, unius ex his qui Clepsydri participes sunt, quos uulgus Sitientes uocat. Præceptoris copiam cum in plerisq;, tum extemporali oratione referebat. Enunciabat pingui lingua, more Cappadocum collidendo consonantes, ac longa cōtrahendo, et breuia producendo: ex quo uulgò Cocus uocabatur, quod ex multis sumptuosis cibis sanè obsonium præpararet. Declamationis modus quanquam supinus tardusq; uim habet, haud ueteribus absimilis, ut est ex eius monumentis deprehendere, quæ plurima Romæ reliquit: ubi etiam senex extinctus est, relatusq; Athenas. unde olim discedens, inter alia illud Euripidis opportune commemorauit: O Theseu, iterum me uerte uti uideam ciuitatem.






PAVSANIAE

COMMENTARIORVM GRAECIAM DESCRIBENTIVM

ATTICA,

DOMITIO CALDERINO INTERPRETE.



N Graecia, quae ad continentem e regione Cycladum insularum & maris Aegei adiacet, Sunium prominet, Atticae promontorium. quod simulac praeternauigaueris, et portus, & Palladis Suniadis delubrum in promontorij uertice existit. Rectà deinceps nauiganti, Laurium locus occurrit, in quo Athenienses argentum olim effodiebant: & insula deserta, non magna illa quidem, quae *Patrocli appellatur. Illic enim Patroclus structis olim moenibus, uallum muniuit, quum classi Aegyptiae praefectus esset, quā Ptolemaeus Lagi filius suppetias Atheniensibus misit: qua tēpestate Antigonus è Demetrio genitus, in Atticam inuadens ipse, terra agrum populabatur, mariq́ nauali bello obsidebat. Piraeus apud maiores populus fuit, non nauale, antequàm Themistoclis autoritate & consilio ciuitas administraretur: ad Phalerum, qua parte mare ab urbe quàm minimum distat, naues appellebantur. Ac fama sanè est, Menestheum, quum ad Troiam nauigaret, ex eo loco soluisse, idemq́ ante eū fecisse Theseum, quum Minoi ob Androgei necē poenas daturus abiret. Quū uero Themistocles ad rerum Atticarum gubernacula accessisset, Piraeum Atheniensibus nauale construxit: quippe qui nauigantibus commodius expositus uideretur, contineretq́ tris portus, cum unus tantū ad Phalerum pateret: quae naualia mea quoque aetate uisebantur,

Sunium. Laurium. *Procli antea legebatur. Piraeus. Phalerum.

tur, insigni Themistoclis tumulo, iuxta portum, qui reliquos magnitudine antecellit. Aiunt enim, Atheniensibus pœnitentia adductis, eorum quæ aduersus Themistoclem egerant, qui illi necessitudine coniuncti fuerant, eius ossa ex Magnesia illuc transtulisse. Videntur præterea Themistoclis filij eò descendisse, & in Parthenone in templi donarijs picturã dedicasse, qua Themistocles exprimitur. Porro eorum quæ in Piræeo extant, Palladis & Iouis lucus præcipua quadam admiratione conspicitur: utriusq; numinis statua ex ære, Iuppiter sceptrum & uictoriam, Pallas hastam præferunt. ibi ab Arcesilao cũ liberis pictus Leosthenes, qui Macedones in Bœotia prælio uicit: & rursus extra Thermopylas, in Lamia è regione Oetæ montis obsidione oppressit. Porticus deinceps protenditur, in qua his qui maritimam partem incolunt, forum constitutum est. alterum enim habent, qui loca supra portũ tenent. Post maritimum forum Iuppiter & populus eminent, Leocharis opus. Veneri fanũ Conon iuxta littus condidit, quũ Lacedæmoniorũ classem ad Cnidum Chæronnesi, quæ in Caria est, pugna fudisset. nam Cnidij Venerem potissimum colunt, multaq; apud eos deæ templa sunt, primæ quidem uetustatis, quod Veneris Doritidos appellant: secundum * Acteæ: tertium Cnidiæ multi autumant, sed Cnidij ipsi * Eubœum nominant. Alter est ad Munichiam Atheniensium portus, cum Dianæ Munichiæ delubro ad eum, qui ad Phalerum est, cuius antè mentionem fecimus, Ceres templum habet, & Pallas Scirias: paulóque posterius Iuppiter. Aræ deinde deorum, qui incogniti appellantur, & heroum, filiorumq; Thesei, & Phaleri, quem Athenienses ad Colchos Iasonis comitem nauigasse affirmant.

ἀκραίας. ἐυπλοιαν

mant. Ara autem Androgei Minois illic est, quæ Herois quidem dicitur: sed Androgei esse tradunt hi, qui patriæ loca apertius aliis nosse cura aliqua & studio tenentur. Hic Colias promontorium, XX. stadiis distat, quò Medorum classem dissipatam maris quondam æstus detulit. In eo est Veneris Coliados fanum, & deæ quæ* Gentilides dicuntur. à quibus nihil mihi differre uidentur deæ illæ, quæ à Phocensibus in Ionia * Genuides appellatæ, in honore sunt. In uia quæ à Phalero Athenas ducit, Iunonis sacellum existit, neque ianuam habens, neque tectum, id enim aiunt Mardonij Gobriæ filij opera & incendio conflagrasse. Deæ statuam, quæ in eo uisitur, Alcamenis opus esse affirmant. nec sanè putauerim, eam à Medo uiolatam fuisse. Accedenti uero in urbem, Antiopes Amazonis monumentum apparet, quam Pindarus à Pirithoo Theseoque raptam fuisse ait. Hegias uero Trœzenius carmine in hanc sententiam de ea scripsit. Cum Hercules Themiscyram ad Thermodoöntem frustra obsideret, Antiopem Thesei (is enim unà cum Hercule militabat) amore captam, urbē dedisse. hactenus Hegias. Atheniensium autem hic sermo est. quum Amazones aduenissēt Antiopem à Molpadia quidem sagitta uulneratam fuisse, à Theseo autē Molpadiam interfectam. ac Molpadiæ sanè tumulus Athenis est. Cum ex Piræeo reuertisti, uideas murorum rudera, quos Conon post pugnam naualem ad Cnidon erexit. nam qui à Themistocle post Medorum fugam conditi fuerunt, quum imperium XXX tyranni occuparent, eos diruerunt. Insignes in ea uia tumuli sūt, Menandri Diopethis filij, & Euripidis, sine cadauere. nam ipsi, cum Archelaum regem adiisset, in Macedonia sepeliri contigit. quo autem ge-

Colias.

γεννητυλλί δες.

γενναΐδες

nere mortis interierit, penes multos sit fides, qui de eo scripserunt. Versabantur igitur ea quoque tempestate cum regibus poëtæ: & ante eam memoriam Anacreõ cum Polycrate tyranno Samio familiariter uixit, Syracusasq; ad Hieronẽ Aeschylus Simonidesq; missi fuerunt. cum Dionysio autẽ, qui postea in Siciliæ tyrannidem successit, Philoxenus: cum Antigono Macedonum principe, Antagoras Rhodius, & Aratus Solensis. Homerũ uero, Hesiodumq; uideo uel regum consuetudinem nactos non esse, uel certo consilio eã contempsisse: alterum ingenij rusticitate, ac erroris tędio: alterum, quoniam quàmlongissimè peregrinari uoluit, plurisq; fecit nominis sui apud multos existimationem, quàm potentum pecuniam. Idem Demodocum apud Alcinoum introducit, Agamẽnonemq; apud uxorem poëtam quendam relinquere facit. Non procul à portis tumulus quidã militem equo insidentem impositũ habet, quem non noui: sed Praxiteles & equũ & militem elaborauit. Vrbem ingressus, ædem aspicias, ubi pompa apparatur sacrorum: quorum alia singulis annis, alia aliquo temporis interuallo celebrantur. In propinquo est Cereris templum: in quo statuæ, ipsa & filia, & facem præferens Bacchus: inscriptum literis Atticis ex pariete indicante, Praxitelis esse opera. A tẽplo non multũ distat Neptunnus eques, iaculum emittens in Polybotem gigãtem, in quem promontorij Testudinis fabulã Coi referunt. sed Epigrãma quidem tempore nostro extabat, simulachrum hoc alij quàm Neptunno attribuens. A portis ad Ceramicum porticus ducuntur, mulierum uirorumq;, quotquot laude aliqua digni erant, imaginibus æneis ante eas expositis. In porticuum altera, deorum tẽpla sunt:

Poëtarũ cum regibus conuersatio.

Homerus et Hesiodus cur à regũ côuictu alieni.

χελώνη promont.

et

et Gymnasium, quod Mercurij uocant: & Polytionis domus, in qua non cōtemnendæ nobilitatis Athenienses sacra celebrant, præter ea quæ Eleusinæ fiunt: ætate mea Baccho consecrata erant. hunc autem appellant Bacchum canentem, eadem ratione qua Apollinem Musarum ducem. Spectatur ibidem Palladis Pęoniæ simulachrū, Iouisq; & Memoriæ, Musarum & Apollinis, quē Eubulides & effinxit & dicauit. deinde bacchantium Genius, Acratus nomine, cui os duntaxat extra parietem extat. Post Bacchi lucum occurrit domicilium, cum statuis fictilibus: ibiq; Atheniēsium rex Amphyction cum alios deos, tum Bacchum conuiuio accipiens: & Pegasus Eleutheriensis, qui Athenienses religione imbuit, in quo oraculum Delphicum continuit, cum dei in Icaro moram commemorauit. Ad Amphyctionē regnum Atheniensiū ita peruenit. Actęum primū in Attica regnasse ferunt, quo uita defuncto, Cecrops ducta uxore illius filia, regnum suscepit: ex qua Ersen, Aglaurum, Pandrosum, & Erysichthonem liberos sustulit. Erysichthon uiuo adhuc patre uita excedens, regni successionem inanem ipse reliquit. at Cecropi Cranaus, Athenis facile princeps, successit. Cranao uero filias cum alias, tum Atthida fuisse narrant: à cuius nomine regionem prius Actæam dictam, Atticam nominant. Cranaum Amphyction impetu facto, quamuis eius filiam uxorem haberet, de regno deijcit: quod eidem postea Erichthonij sociorumq; coniuratione accidit. Erichthonium autem ex mortali genitum patre negant, cui Vulcanum Terramq; assignant parentes. Locus Ceramicus, ab Ceramo heroë, Bacchi & Ariadnes filio nomen sortitus: ad dexterā, porticum, Regiam nomine habet, ubi regis consessus est, qui an-

Bacch. μελπόμενος.

Apollo μουσηγέτης.

Atticæ regū successio.

Ceramicus.

nuum gerit magiſtratũ, quem regnũ appellãt. Statuæ in porticu fictiles: Theſeus, Scironẽ in mare abijciens: Aurora, Cephalum aſportans, quem pulcherrimum fuiſſe aiunt raptumq; ab aurora, quod eius amore capta eſſet, inde genitũ Phaëthontem, quẽ ædituum conſtituerit. Hæc cum alij, tum Heſiodus carmine, quod in mulieres edidit, planè teſtatur. Iuxta porticum ſtant

Euagoras. Conon, eiusq; filius Timotheus: & Cypriorũ rex Euagoras, qui ut Phœniciæ triremes Cononi ab Artaxerxe rege traderentur effecit: quod ſanè ut Athenienſem decuit, egit, ex Salamineq; oriundũ. genus enim ſuum in Teucrum, Cinyræq; filiam referebat. Deinceps Iuppiter conſpicitur, liberalis nomine: & Hadrianus Imperator, meritorum magnitudine cum erga alios

imperij forte legendũ ἐς ἄλλους τε ὧν ἦρχεν. † myſterij ſocios, tum in Athenienſiũ ciuitatẽ ſpectandus. Poſteriore loco porticus exædificata eſt, Deos, qui duodecim cenſentur, pictis tabellis continens. Vlteriore pariete Theſeus pictus eſt, ſtatusq; popularis, & populus. quæ quidem pictura nihil aliud ſignificat,

Theſeus. quàm Theſeũ æquabilem Athenienſibus ciuitatis adminiſtrationem conſtituiſſe: quod ipſumquoq; uulgatum, à Theſeo rerum ſummam populo eſſe traditam, atque ex eo tempore ſtatum popularem permanſiſſe, quoad Piſiſtratus tyrannidem occupauit. Alia præterea falſa quidem uulgo narrantur, qualia ſolent hiſtoriæ ignari, & qui fide digna arbitrantur, quæcunque in theatris & tragœdijs ab ineunte ætate audiuerunt. Illud quoq; de Theſeo refertur, quod poſt etiam Me-

Theſeidæ. neſthei obitum regnũ tenuerit, & à Theſeo quarta prole oriũdi rerum potiti ſint. Quod ſi de genere diſputare libuiſſet, omnes qui à Melantho ad Clidicum uſq; Aeſimidæ filium regnauerũt, recenſuiſſem. Eodẽ loco res

Athe-

Atheniensium, ad Mantineam gesta, picta est: qui Lacedæmonijs subsidio uenerunt. totum id bellum cum alij, tum Xenophon scriptũ reliquit: Bœotiæ ciuitatem captam, Lacedæmoniorum in Leuctris cladem, Thebanorum in Peloponnesum irruptionem, Atheniensium subsidia Lacedæmonijs missa. Eminet inprimis pugna equestris, in qua inter equites Athenięses Grillus Xenophontis filius, inter Bœotios Epaminondas Thebanus præcipue dignoscuntur. hæc Euphranor Atheniensibus pinxit, addito iuxta in ædẽ Apolline, quem patrium appellant. Duo item pro templo Apollines, ex quibus alterum Leochares, alterum Alexicacum nomine, Calamis effinxit. id deo nomen inditum aiunt, quòd pestilentia, cum bello Peloponnesiaco in Attica grassaretur, oraculo Delphis reddito, populum liberauit. Matris quoque deorum, quæ est Phidiæ opus, templũ conditum est. In propinquo Quingentorum curia, qui annui apud Athenienses senatores sunt. Iouis ibidem consiliarij simulachrum, & Apollo, Pisiæ opificiũ: populus præterea Lysonis, legumlatores Protogenes Caunius pinxit. Olbiades autem Callippi filius erat, qui Atheniẽsium exercitũ in Thermopylas, ad Gallorũ in Græciam irruptionem sustinendum duxit. Hi sunt Galli, qui in Europæ finibus profundum accolũt mare, cuius ora innauigabilis est. nam passim æstuarijs inundat, asperaq; excipiunt littora, his belluis quæ nusquam præterea ulla maris parte gignuntur. Per eorum regionem labitur Padus, iuxta quem Solis filias Phaëtontis fratris interitum deflere aiunt. Non diu uero sumptam Gallorum appellationem retinuerunt: sed ipsi se Celtas olim dicebant, & ab alijs ita uocabantur. Ii comparato sibi exercitu, ad

Apollo πατρῷος.

Apollo ἀλεξίκακος.

οἱ πεντακόσιοι.

Gallorum in Graeciam irruptio. ad Ionium profecti, Illyricos, nationesq; omnes quæ ad Macedonas usq; protēduntur, ac Macedonas ipsos domo eiecerūt. Thessaliam deinceps hostilibus incursionibus infestantes, atq; ita quàm proximè Thermopylas progressi sūt: quo tempore plerique Græcorum irruentibus Barbaris non occurrebant, quòd Alexandri ac Philippi prius bellis eorū res attritæ erant, afflixerat secūdo loco Græcorum nomen, Antipater & Cassander: ut nemo si eo tempore auxilium ex tanta rerum imbecillitate non mitteret, sibi turpe futurum arbitraretur. Atheniensiū uero imprimis uires exhaustæ erant, & belli Macedonici diuturnitate, & multorum prælio rum cladibus. Tamen coniunctis Græcorum opibus, qui uenire uoluerunt, Callippo illo duce constituto, in Thermopylas expeditionē agere non dubitarunt: occupatis locis, quibus transitus angustissimus erat, Barbarorum in Græciam impetum sustinebant. Sed Galli cum rectū iter peruestigassent, quà Ephialtes Trachinus Medos antea duxerat, Phocensium præsidio illinc deiecto, Græcis inscijs Oetam transgressi sūt. quo loco Athenienses Græciæ operam egregiè nauarunt. nam utroq; latere clausi, Barbaros summouerūt. Eorum uerò classis admodum laborabat. nam Lamiacus sinus, quà ad Thermopylas definit, cœnosus admodum est: quod aqua illic calida in pelagus illabente, euenire arbitror. Grauius igitur hi laborabant. nam cum Græcos in tabulata recepissent, nauibus armorum uirorumq; pondere onustis, aduersus * sinum enauigare conabantur. *cœnum cogebantur* Græciæ igitur salutem eo quo exposuimus modo, hi pepererunt. Illi uero, qui intra portas penetrauerāt, oppidorum expugnationem negligentes, omne studium ad Delphos Apollinisq; thesauros diripiēdos con

tulerunt:

tulerũt: quibus Delphici, Phocẽsesq; qui circa Parnasũ oppida incolunt, sese obiecerũt. Præsto autẽ fuit etiam Aetolorum manus. nam Aetoli iuuentutis robore eo tempore præstabant. Vbi uero signis collatis pugna cœpta est, fulmina in Gallos ferri, & auulsæ Parnassi rupes: horrorq; circũstans, ac uiri armati Barbaros urgere. inter quos Hyperochũ & Hamadocũ ex Hyperboreis uenisse autumant: tertium uero Pyrrhũ Achillis filium affuisse. cuius præsidij gratia Delphici deinceps Pyrrho parẽtare instituerunt, cum antea eius tumulũ tanquam hostilem nullo honore afficerent. Gallorũ autẽ plerique in Asiam classe traiecerunt, oramq; littoralem omnem depopulati sunt. Aliquanto uero pôst insequentibus ijs qui Pergamum tenebant, Teuthraniã appellatam, eò Gallos à mari compulere. Hi quidem Ancyra Phrygiorum urbe potiti, quã Midas Gordię primus condidit, regionem ultra Sangarium occuparunt. Porro ancora, quam Midas reperit, ætate quoque mea in Iouis delubro pendebat, cum fonte qui Mida cognominatur, hunc, quo Silenum pelliceret, Midam uino miscuisse aiunt. Ac eam quidem urbem Galli cœperũt: et Pessinuntem sub Agdisti monte sitam. in quo Atyn tumulatum fuisse fama est. Gallorum spolia apud Pergamenos sunt pictura rem aduersus eos gestam indicante. Regionem uero, quam Pergameni inhabitãt, Caberis prius consecratã fuisse affirmant. se enim Arcades, ex his qui cum Telepho in Asiam transfretarunt, esse prædicant. Si qua tamẽ alia bella gesserunt, fama non usquequaq; diuulgatum est. tria certe insigni nobilitate commemorãtur: & pro inferioris imperio Asiæ, & quum inde Gallos eiecerunt: tertium, cum aduersus Agamemnonem unà cum Te-

Midæ ancora.

Pergameni.

lepho arma intulere, cum Græci itinere ad Ilium aberrantes *agrum hostilem in modum populabantur, quæ nullam ad Troiam uiam ducit. Sed ad institutū historiæ reuertamur, unde oratio deflexit. A quingentorum curia proximus locus est, quem Tholum appellant, ubi Prytanes rem sacram peragunt. quædam præterea statuæ illic sunt, ab *Argito exculptæ, statura mediocri, loco uero editiore Heroū simulachra exurgūt, à quibus Atheniensium tribus nomina sumpserunt. Porro qui decem tribus priscis mutatis nominibus constituerit, cum quatuor olim essent, Herodotus id quoque scriptum reliquit. Nunc in his, qui cognominum autores appellātur, Hippothoon extat, Neptunni & Alipes filiæ Cercyonos filius: Antiochus, Hercule genitus, ex Meda Phylantis filia: tertius Aiax Telamonius, ex Atheniensibus autem Leon, qui ob publicam salutem oraculi responso filias tradidisse dicitur. interq; hos & Erechtheus est, qui Eleusinijs prælio superatis, Emmaradum Eumopli filium eorum ducem interfecit. est quoq; Aegeus deinceps, & Oeneus Pandioni ex adulterio natus. ex Thesei autem liberis, Acamas. Sed Cecropem, uel Pandionem (nam horum quoq; imagines inter alias uidi) nescio quo eos honore prosequantur. Cecrops enim primus Athenis regnum occupauit, is qui Actæi filiā duxit uxorē: indeq; alius, qui Eubœam migrauit, Erechthei filius, qui Pandionis fuit, Erichthonij filij. Regnauit item Pandion, Erichthonio è Cecropis iunioris filia genitus. hunc Metionidæ regno deturbant: Megaraq; cū fuga contenderet (erat enim Pylæ Megarensium regis gener) unà quoq; filij euasere. ibi Pandionem aduersa ualetudine extinctum aiunt: cui in Megaride tumulus ad mare adiacet, quem Athe-

nis

Marginal notes: τὸ πεδίον / τὸ μυσόν. — ἀργύρου πεποιημένα. — Athenien-siū tribuū ἐπώνυμοι. — Cecropes duo. — Pandion.

nis* Ganiæ ſcopulum nũcupant. Filij porro Megaris ἀιθυίας
reuerſi, Metionidas eijciũt: Athenarumq; regnũ natu σκόπελον
eorum maximus Aegeus ſuſcipit. Infelix autem omnino Pandion fuit, filiarũ educatione: neq; earum filij relicti ſũt ulli iniuriæ ultores, tametſi ut fortunam augeret, cum Thrace affinitatem iunxerat. Sed nulla eſt " mortalibus eius quod diuinitus conſtitutũ eſt, euaden " di uia. Fertur enim, Tereum Prognes coniugem, Phi " lomelam, contrà quàm Græcorũ legibus permittebatur, uiolaſſe: puellæq; ab eo corpus ita excruciatum, ut ea facinoris acerbitate utramq; ſororem ad ſui ſupplicium compulerit. Aliud præterea Pandionis ſimulachrum eximium in arce poſitum eſt. Hi uero ſũt* ue- ἐπώνυμοι
teres illi, à quibus Athenienſium tribus nomen acce- τ ἀρχαί-
perunt, at poſtea hi quoq; de ſe appellationes relique- ων.
re ijſdem: Attalus Myſus, Ptolemæusq; Aegyptius, ac mea ætate Hadrianus imperator. qui ad diuinitatis *Hadrianus*
gloriam maxime acceſſit, ſocijsq; præclara quædam *Imperator.*
ad bene beateq; uiuẽdum contulit, arma ſponte intulit nemini: Hebræos tantum, qui ſupra Syros ſunt, deficientes bello coërcuit: tum Athenis in communi deorum delubro literarum monumẽtis extat, quæ tẽpla aut omnino exædificauerit, aut donarijs concinnationibusq; ornauerit, quibus item Græcorum aut etiam Barbarorum rogantium urbibus munera contulerit. Cæterum Attali ac Ptolemæi geſtorum fama, partim uetuſtatis diuturnitate, partim ſcriptorum qui ad earum rerum hiſtoriam conſcribendam cum illis uixerũt neglig ẽtia interijt. Quare adductus ſum, ut memoriæ prodendũ exiſtimauerim, & quæ geſſerũt, & quo pacto ante eorum ætatem, Myſorum ac finitimorum regnũ Aegyptum auxit. Iam Macedonum opinio eſt,

Ptolemæum Philippi Amyntæ filium fuiſſe, & ad Lagum patrē per uulgi errorem deferri, aiunt enim, matrem ex eo iam grauidam, à Philippo datam fuiſſe Lago uxorem. Ipſū uero in Aſia cum alia quædam præclara facinora edidiſſe tradunt, tū Alexandro in Oxydracis periclitanti præ cęteris ſocijs potiſſimum adfuiſſe. quo mortuo, ijs qui ad Aridæum Philippi filium totum transferre imperiū uolebant reſiſtens, uti in regna diſtribuerētur gentes, ipſe præcipue autor fuit. *Inde in Aegyptū inuadens, Cleomenem, cui Alexāder Aegyptū adminiſtrādam tradiderat, interficit: quod cū Perdiccæ amicū, atq; ob idipſū ſibi haud fidelē arbitrabatur. deinde Macedonas, qui ad Alexandri cadauer Aegas transferendum delecti fuerant, ſuadendo compellit, id ſibi ut tradant: quod in Memphi funera Macedonum lege tumularentur. Aegyptum uero diſpoſitis munijt præſidijs: quippe qui Perdiccam aduerſus ſe arma moturum non ignoraret. Is autem, quo honeſtior expeditio prætextu uideretur, Aridæū Philippi filium, Alexandrumq; puerum, ex Rhoxane Oxyartę filia & Alexandro progenitum, ſecum adduxit: reipſa tamen Ptolemæum per inſidias Aegypti regno pellere inſtituebat. ſed excluſus inde, quū parum ſecunda uirtutis fama illic pugnaſſet, Macedonūq; præterea calumnijs obrueretur, ſatellitū conſpiratione tandem occubuit. cuius morte Ptolemæus ad regnum rurſus confirmatus eſt: eaq; ipſa fœlicitate Syros Phœniciamq; in ditionem redegit, ac Seleucum Antiochi filium ab Antigono expulſum, ad ſe fugientem ſuſcepit. Bellum interea parat, quo Antigonū Caſſandrumq; Antipatri filium ulciſci cogitabat: in cuius ſocietatem Lyſimachum Thraciæ regem pellexit, quum Seleuci

fugam

fugā Antigoniq; fortunæ incremēta omnib. pariter formidolosa esse demōstraret. Antigonus interea delectū habere, nec tamē audere omnino belli fortunæ se committere. simulac uero audiuit, Ptolemæum ob Cyrenæorum defectionē in Lybiam militiam agere, facta repente incursione, Syros ac Phœniciam cœpit, traditq; Demetrio filio: qui quamuis ætate iuuenis esset, tamen iam prudentia præditus uidebatur. Ipse in Hellespontū mouit. quò antequàm perueniret, exercitum retroegit: quod Demetrium † ab Antigono fusum prælio fuisse, allatum ei esset. Nondū uero Demetrius tota prouincia * Antigono cesserat, & Aegyptios non sanè multos insidijs occupatos deleuerat: sed uenientis Antigoni impetū cum Ptolemæus non tulisset, in Aegyptum sese recepit. Ea hyeme acta, Demetrius in Cyprum classe instructa contendit. ibi Menelaum Ptolemæi præfectū nauali pugna, mox ipsum Ptolemæum accedentem superauit: quem in Aegyptū compulsum Antigonus & Demetrius terra mariq; obsederūt. Ptolemæus itaq; cum eò peruenisset, ut extrema rerū fortuna laboraret, regni tamen incolumitatem oppositis ad Pelusiū copijs, triremibusq; ex flumine tutatus est. Antigonus desperatis ea occasione rebus, Demetrium magno exercitu & nauibus in Rhodios ire iussit. sperabat enim, si insula potiretur, ea se statione aduersus Aegyptios usurum. Eam obsidionem Rhodij iniectis terroribus, uafreq; factis eluserunt. Simul Ptolemæus ad id bellum contulerat, quicquid ei accesserat uirium. Antigonus rerum Rhodiarum, & paulo ante Aegyptiarum spe frustratus, atq; ita non multo pòst aduersus Lysimachum, Cassandrum, ac Seleuci copias dimicare ausus, magnam exercitus partē amisit, atq; ipse occu-

† ὑπὸ πτολεμαίου.

* πτολεμαίῳ

 buit,

buit, profligatus inprimis belli aduersus Eumenẽ diuturnitate. Equidem eorũ regum qui Antigonũ deleuerunt, Cassandrũ impijssimum fuisse arbitror: quippe qui cum Antigoni opera Macedonum regnum retinuisset, aduersus eius beneficij autorem arma intulit.

Cassandri ingratitudo

Vita functo Antigono, Ptolemæus Syria rursus Cyproq; potitus est, Pyrrhumq; in Thesprotidem Epyri reduxit. Magas interea Berenicis, quæ Ptolemæo tunc nupserat, filius, Cyrenæos quinto quo defecerãt anno occupat. Quod si Ptolemæus iste Philippi Amyntæ uere filius fuit, paterno in muliebres amores furore laborauit. nam quum Eurydicem Antipatri filiam, susceptis etiam filijs, uxorem haberet, Berenices amore captus est, quam Antipater unà cum Eurydice in Aegyptum emandauerat: ex eaq; liberos sustulit, & moriens Ptolemæo (à quo extat Atheniẽsium tribus, non ex Antipatri filia, sed Berenice genito) Aegypti regnũ testamento reliquit. hic in Arsinoës sororis, & quidem utroq; parente, amorem incidit: uxorẽq; eam Aegyptiorum quidem (quibus imperabat) nõ Macedonum ritu duxit. Minorem uero natu fratrem Argæum, sibi (ut aiunt) insidiantem (is autẽ fuit, qui Alexandri cadauer ex Memphide detulit) interemit: & unà aliũ fratrem, ex Eurydice natum, accepto nuncio de Cypriorum defectione. Erat autem ei ex eadem matre genitus Magas frater, Philippo patre, Macedone quidem, sed ignobili præterea ac plebeio quopiam. hic Cyrenæis à matre Berenice præfectus, cum eorum tunc à Ptolemæo defectionis autor fuisset, in Aegyptũ omnes agebat. Ptolemæus disposito locis ãgustioribus præsidio, Cyrenæorum aduentum operiebatur. Sed Magam in ipso itinere Marmaridas, qui Libyæ populi inter Numidas

Magas.

Ptolemæi, ὁ σωτὴρ & ὁ φιλάδελφος.

Marmaridæ

midas fūt,ad defectionē compulisse,ei nūciatū est:atq; ita Cyrenē proficisci. Ptolemæū parantē illū insequi, eiusmodi factū cōtinuit. nā ad bellū aduersus Magam aduētantē delectu habito,peregrinos cū alios,tū Gallos ad millia circiter quatuor collegerat. q̄s cū agitare cōsiliū de Aegypto clā occupāda deprehēdisset, eos in insulā desertā fluminis nauigatione reduxit:ubi partim intestinis cædibus, partim fame interierūt. Magas autē cui Apame Antiochi Seleuci filia iam nupserat, Antiocho persuadet,ut fracto fœdere,quod ei pater cū Ptolemęo percusserat, in Aegyptū moueret. Igitur ubi per Antiochū delectus haberi cœptus est, Ptolemæus missis qui Antiochi socios imbecilliores præda incursionibusq; infestarēt, potētiores exercitu coërcerent, omnē illi in Aegyptum agendæ militiæ potestatem ademit. Hic ille est Ptolemæus, quem antea diximus classem aduersus Antigonū ac Macedonas Atheniēsibus suppetias misisse:nihil tamen ad eorum salutem magnopere contulit. quos uero habuit liberos, ex Arsinoë,non *Arsinoæ* quidem sorore,sed Lysimachi filia sustulit. nam ei nup *duæ.* tam sororē,sine liberis antea mori contigit:à qua,præfectura Arsinoites apud Aegyptios extat. Institutæ *ἀρσινοΐτης νόμος.* profecto historiæ fuerit, res quoq; Attali exponere. nā & hic inter eos est, qui nomina Atheniensiū tribubus dederunt: uir quoq; Macedo, spectati nominis apud *Attali res.* Antigonum,qui postremo se & sua omnia Lysimacho tradidit. erat ei Philetęrus Paphlagō eunuchus,de quo in Lysimachi rebus inseram,quę nam in defectione ab eo egerit, ac quo pacto Seleucum adduxerit. Attalus uero, Attali *fratris filius,ad imperium peruenit, cum id Philetęro patruus Eumenes tradidisset. omniū quæ in uita ipse egit, id potissimum memoratu dignum est,

quòd

quod Gallos à littore in eam regionis partem fuga adegit, quam nunc quoque tenent. Post autorum cognominum imagines, deorum statuæ sunt: Amphiarai, pacisque Plutonē puerū ferentis, ibi Lycurgus Lycophronis æneus positus est: & Callias, qui (ut Atheniensium plerique testantur) pacem Græcis cum Artaxerxe Xerxis filio confecit: deinde Demosthenes, quē Athenienses in Calauriam insulam ante Trœzenem proficisci coëgerunt, eundem postea restitutū, rursus post acceptam in Lamia cladem insectati sūt, secundò igitur elapsus, tunc quoque in Calauriā traiecit: ubi epoto ueneno diem suum obijt. Hunc unum ex omnibus Græcorum profugis Archias non reduxit ad Antigonum & Macedonas. Is uero cū Thurius esset, operam omnino nefariam suscepit: nam quotquot Macedonibus ante Græcorum in Thessalia cladem infesti fuerant, eos omnes ad Antipatrum pœnas daturos adduxit. Huc quidē euasit ingens illa Demosthenis erga Athenienses beneuolentia, ut mihi admodum probari soleat, quod dicitur, Qui se omnino ciuitati admi-

„ nistrandæ tradiderit, remque popularem firmum quip-

„ piam putauerit, hūc nunquam bellè uita excessurum.

Iuxta aūt Demosthenis imaginem Martis templū exurgit: in quo Veneris simulachra duo sunt. Martem uero Alcamenes, Mineruam autē sculpsit Parius quidam Locrus nomine. Ibi etiam Enyus simulachrū est, quod Praxitelis filij effinxerunt. Circa templum consistunt, Hercules, Theseus, Apollo comam uitta uinciens, tum statuæ: Calades, qui Atheniēsibus (ut aiunt) leges scripsit: & Pindarus, qui quòd Athenienses carmine laudasset, cum alia, tum statuam ab ijsdem assequutus est. Non procul stant Harmodius & Aristogiton,

Callias. Demosthenes. Archias. Calades. Pindarus.

ton, qui Hipparchum interfecerunt: de cuius facinoris causa & consilio, ab alijs memoriæ traditũ est. Statuarum aliæ sunt Critiæ opificio fabricatæ, alias & eas quidẽ antiquiores fecit Antenor. Xerxes captis Athenis, urbe ab Atheniensibus deserta, hæc inter spolia asportauit. Sed Antiochus Atheniensibus postea remisit. In theatri autem, quod cantilenarum appellant, uestibulo regum sunt Aegyptiorum statuæ: eodem sanè quidem omnes Ptolemæorum nomine censentur, diuerso tamen singulorum cognomine. aliũ enim Philometora, Philadelphum alterum appellant: Lagi autem filium, Sotera, quod ei à Rhodijs est inditũ. Inter alios Philadelphus est, cuius antè inter cognominum autores mentionem fecimus. in proximo ei est, Arsinoës sororis statua. Sed qui Philometor cognominatur, octauus est à Ptolemæo Lagi filio oriundus, eam appellationẽ per irrisionem nactus. nullum enim ex regibus maiori odio matri fuisse audiuimus: quippe quem filiorum omnium natu maximũ, ad regnum uocari non passa est, cum antea ut à patre in Cyprum mitteretur effecisset. odij causas Cleopatræ matri in filium cum alias fuisse aiunt, tum quod Alexandrũ minorem natu filium magis in potestate futurum sperabat. atq; ea de causa Aegyptios ut eum regem eligerẽt hortabatur: sed aduersante ei multitudine, rursus Alexãdrum in Cyprum misit, fama quidẽ militiæ ducem, sed eo consilio, ut per eum Ptolemæo maiori terrori esset. deniq; eunuchis quibusdã uulneratis, quos præ cæteris sui amantes existimabat, eos sub multitudinis conspectum adducit, tanquam & ipsa insidijs ab Ptolemæo appetita, & ab illo eunuchis ea perpessis. Alexandrenses autem in Ptolemæum, tanquã eum inter-

ᾠδεῖον theatrum.

Ptolemæus φιλομήτωρ.

fecturi, impetum fecerunt. sed cum ille naui antea eua sisset, Alexandrum ex Cypro reuersum regem creant. Mox in Cleopatram supplicium pro Ptolemæi fuga rediit (nam Alexāder eam necauit) quę̃ Aegyptiorum regem comparauerat, quo facinore deprehenso, cum Alexander ciuium metu aufugisset, Ptolemæus rediit, atq; iterum in Aegypto rerum potitus est, ac Thebanis ob defectionem bellū intulit, tertioq; quàm defecerant anno conserta pugna, adeò eos afflixit, ut ne uestigium quidem ullum ipsis relinqueretur pristinæ fœlicitatis: quæ eò creuerat, ut hi pecunia Græcorū opulentissimos superarent: quin & Orchomenios, ac templum Delphicū. Paulo igitur pòst hic Ptolemæus naturali quodam morbo periit. à quo cum Athenienses multa (quæ exponere superuacuum fuerit) beneficia accepissent, æneū & ipsum erexerunt, & Berenicem, quæ unica legitimis nuptiis ei genita fuerat. Post Aegyptios uero, Philippus Alexanderq; filius positi sūt: de quibus scribere magis superfluum fuerit, quàm de alio quopiam. Aegyptiis itaq; regibus ob eorū beneficentiam ueri honoris munera data sunt, at in Philippū & Alexandrū quicquid collatū est, publica quædam assentatio fuit. Qua ratione Lysimacho quoque statuam erexerunt, non tam in eū beneuolentia, quàm quòd præsenti rerum occasioni multum commodi afferre poterat. erat autem Lysimachus hic genere Macedo, Alexandri satelles, quę̃ cum aliquando iratus Alexander in eandem cum leone caueam coniecisset, ferę illum uictorem reperit: eumq; postea admirans, honesto inter Macedonū proceres loco habuit. Ab Alexādri interitu, Thracibus Lysimachus imperauit, Macedonum finitimis; qui prius Alexandro, & antea Philippo

Lysimachus ὁ λεοντομάχας.

lippo parebāt. hi Thracij nominis non magna portio sunt. Tota autem Thracia natio nulla (Gallos excipio) si inuicem conferas, amplior est. qua de causa nemo ante Romanos, Thracas uniuersos subegit. Romanæ ditionis tota nunc Thracia est, & Gallia. sed quæ uel nimio rigore, uel soli sterilitate nullius emolumenti existimabant, ea ultro contempsere: dūtaxat tenentes, quæ possessorem mererentur. Lysimachus ea tempestate ex omnibus finitimis, Odrysis primum bellum intulit: Dromichetæ deinceps, & Getis. cum autem res ei essent cum uiris & peritis disciplinæ militaris, & hominum multitudine longè superioribus, ipse extremis periculis circumuentus, fuga sibi consuluit: Agathocles autem filius, qui tūc primum militiæ tyrocinia ponebat, à Getis captus est. Accepta deinde alijs quoqꝫ prælijs clade, anxius etiam de filij captiuitate, fœdus cū Dromichete percussit, data illi in uxorem filia, & regni parte quæ trans Istrum erat cōcessa. atqꝫ hæc quidem, rerū fermè difficultate coactus. Alij non Agathoclem, sed Lysimachum ipsum captū fuisse autores sūt, seruatumqꝫ Agathoclis apud Dromicheten opera. Simul ac redijt Agathocles, Lysandram Ptolemæi Lagi filiam, & Eurydices, uxorem duxit: atqꝫ in Asiam nauibus transgressus, Antigoni regnum in ditionem redegit. Ephesum præterea urbem, quæ nunc cernitur, ad mare condidit: in quam Lebadios Colophoniosqꝫ, deletis illorum urbibus migrare compulit: ut Phœnix Colophonius poëta iambicus patriæ euersionem carmine defleuerit. nimirū Hermesianax elegorū scriptor ad id usqꝫ tempus non uixit: nā de Colophonis captiuitate loco aliquo ipse is cōquestus esset. Cū Pyrrho etiam Aeacide bellū gessit. cuius ex Epiro

Thracum uires.

Phœnix et Hermesianax poëtæ.

profectionem cum obseruasset, & ille procul errando nauigaret, per totam prouinciam populabundus incedens, ad regum etiam conditoria peruenit. Quæ uero huc narrantur, mihi quidem non fiunt uerisimilia. Hieronymus enim Cardianus scribit, Lysimachum euersis conditorijs cadauerum ossa effudisse. sed profecto Hieronymus hic suspicione non uacat alioqui etiam, quod regum odio scribat, præterquàm Antigoni: cui ipsi tamen nihil habet cur gratificari studeat. apertissimum autem est, eum de Epirotarum conditorijs contumeliam fabricari: quod uir Macedo mortuorum sepulchra dissipauerit. Enimuero ignorabat Lysimachus, eos nõ modo Pyrrhi, sed Alexãdri quoq; ꝓgenitores fuisse. nam Alexãder Epirota fuit, materno genere ab Aeacidis oriũdus. deniq; Lysimachi cum Pyrrho demum inita societas argumento est, in bello etiam quod inter se gesserunt, eos animis tam infensis non fuisse, quin pacari possent. Hieronymus autẽ fortasse aliunde etiam probrorum in Lysimachũ causas cõcœperat: sed ea sanè præcipua fuit, quod deleta Cardianorũ urbe, Lysimachiam eius loco in Isthmo Cheronnesi Thraciæ ad mare condidit. Beneuolẽtiam porro erga Macedonas Aridææ temporibus, qui illic regnauit, ac postea Cassandri & filiorum seruauit. sed cum regnum ad Demetrium Antigoni filiũ delatum esset, iam Lysimachus sperare aduersus se arma à Demetrio moueri, præstolari tum ut ille belli initia daret, cui scilicet uidebat paternum esse de propagandis aliqua parte finibus agitare. Interea cognoscit, illum in Macedoniã ab Alexandro Cassandri filio accersitum: atq; eò cum peruenisset, Alexandri cædem patrasse, & Macedonum regnum eius loco occupasse. Iccirco signa ad

Hieronymus Cardianus.

Lysimachi res.

na ad Amphipolim cum eo contulit, tam iniquo Marte, ut de Thracia periclitaretur. sed opitulante Pyrrho & Thraciã tenuit, & † Hestiẽses postea Macedonesq; imperio adiecit. Pyrrhus uero ipse magnam sanè Macedoniæ partẽ obtinebat. nam bene instructus ex Epiro uenerat, & ad rerum Lysimachi rationem tunc admodũ accommodatus erat. Cum uero Demetrius in Asiam exercitus duxisset, ac bello Seleucum infestaret, Pyrrhi Lysimachiq; permãsit amicitia, quãdiu Demetrij res aduersus Seleucũ stetere. Vbi uero Demetrius in Seleuci partes concessit, Lysimachi Pyrrhiq; amicitia soluta, ambo in arma iuere: quo bello Antigonus Demetrij filius, & Pyrrhus, magna uictoria à Lysimacho superati fuerunt. Hinc Macedonia potitus, " Pyrrhum in Epirum redire compulit. Atqui multæ ex " amore calamitates mortalibus euenire solent. nam Lysimachus iam ætate prouectus, cũ propter liberos beatus ab omnibus haberetur, & ex Agathocle Lysãdraq; ei essent nepotes, Arsinoëm Lysandræ sororem uxorẽ cœpit: quæ quoniam liberis timebat, ne Lysimacho mortuo in Agathoclis iura uenirẽt, de eius nece cogitasse fertur. Alij Agathoclis amore captam Arsinoëm prodiderunt, ac de illius cæde consilia agitasse, cũ assequi eius concubitum nequiret. Addunt nonnulli, Lysimachum de audaci tandem uxoris conatu edoctum, eam rem omnium sibi iocũdissimam, & qua nihil magis optaret, amplexũ fuisse. sed postquam Agathoclem interficiẽdum Arsinoę Lysimachus indulsit, e uestigio Lysãdra ad Seleucum cum liberis effugit, & fratribus suis: qui hoc casu consternati, ad Ptolemæum sese receperunt. Alexander quoq; Lysimachi ex Odrysia muliere filius, ad Seleucum fugientibus se comitẽ addidit.

Nestienses

Alexander Lysimachi.

qui Babylonẽ usq; progressi, Seleucum suppliciter obtestantur, ut in Lysimachum arma suscipiat. simul & Philetærus, cui pecuniarũ Lysimachi cura credita erat, quoniam Agathoclis interitum grauiter ferebat, Arsinoës consilia infida arbitrabatur, Pergamum ad Caycum occupat: tum per præconem se pecuniasq; in illius potestate fore pollicet. quæ omnia ubi Lysimacho nunciata fuerunt, in Asiam primum profectus, ultro intulit bellum: ac conserta cum Seleuco acie, longè lateq; fusus occubuit. Alexander quoq; ex Odrysia muliere Lysimacho genitus, mortem ualde deprecatus, apud Lysandram iterficitur. in Cheronnesum postea elatus, tumulum (qui nũc quoq; uisitur) insignẽ inter Cardiã uicũ & Pactyam habuit. Hactenus Lysimachi gesta. Pyrrhi etiã imago apud Athenienses est: cui cũ Alexandro quidem nihil conueniebat, nisi quantum ad genus attinet. siquidem ex Aeacida Arymbæ filio natus erat Pyrrhus. ex Olympiade uero Neoptolemi filia, Alexander: Neoptolemus autem & Arymbas Alcetam Tharypi filium patrem habuere: * qui à Pyrrho Achillis filio erat genitus quintus decimus. Hic enim primus euerso Ilio, reditum in Thessaliam contempsit: in Epirumq; profectus, ibi Heleni uaticiniis domicilio constituto, filiũ ex Hermione suscepit nullũ, ex Andromache uero Molossum ac Pielũ, & horum natu minimum Pergamũ. Heleno autem, cui Andromache mortuo in Delphis Pyrrho nupsit, Cestrinus genitus est. Heleno mortuo, Molossus regnum suscepit: Cestrinusq; Epirotis quibusdam sese ultro ei addentibus, regionem trans Thyamin fluuium sortitus est. Pergamus in Asiam transgressus, Arium Teuthraniam eo tempore tenentem interfecit, singulari certamine, quo

Lysimachi interitus.

Epiri regũ genealogia.

à quo in Pyrrhum usq; Achillis filiũ, quindecim uirorum generationes sũt.

ne, quo uterq; de imperio dimicauit: urbiq; nomẽ indidit, quod ab eo etiamnũ & Andromache (illum enim sequuta est) seruatur. In urbe eorum spectatur tumulus, quem Heroum appellãt. Pielus in Epiro substitit: in quẽ Pyrrhus Aeacidæ filius, eiusq; maiores, genus referebant suum: non autem in Molossum. Epiri sanè regnum ad Alcetem usq; & Tharypum unius tantum potestate gubernatur. sed Alcetæ liberi cũ diu intestinis seditionibus laborassent, tandẽ regnum æqua sortitione partiti, *multa inter se uixerunt fide. Cum deinde mortuo in Lucanis Alexãdro Neoptolemi, Olympias Antipatri metu in Epirum rediisset, Aeacides Arymbæ filius cum in rebus aliis mulieri obsequebatur, tum bellum aduersus Aridæum ac Macedonas Epirotis eam militiam detrectantibus suscepit. Olympias post uictoriam multa impiè etiã in Aridæi necem meditata, multóq; magis nefaria in Macedonas, & ipsa digna habita est his quę à Cassandro pertulit. & eius odio Epirotæ Aeacidem initio non acceperunt: quos postea quam impetrata uenia conciliauit, à Cassandro rursus ne in Epirum accederet prohibebatur. Commissa igitur inter Philippum Cassandri fratrem & Aeacidem in Oeniadis pugna, Aeacides uulneratus, haud ita multo post diem suum obiit. Epirotæ uero Alcetem sibi regem constituerunt, Arymbæ quidem filium, & Aeacida fratre natu maiorem, sed impotẽtis iracundiæ uirum, atq; iccirco à patre expulsum. quo in Epirotas quoq; statim ita furere incipiẽte, noctu conspiratione facta, ipsum cũ liberis de medio sustulerunt. Eo autem interfecto, continuè Pyrrhũ Aeacidæ filium in regnũ deducũt. cui uenienti Cassander statim cum exercitu occurrit: nempe qui a iuuenili ætate erat, nec regni

*mutua forte legendũ.

regni opes satis adhuc constitutas habebat. Aduentantibus igitur Macedonũ copijs, ipse in Aegyptũ ad Ptolemæum Lagi filium se contulit: qui ex eadẽ matre cum alijs liberis genitam sibi filiam, illi uxorem dedit, classeq; Aegyptia in Epirũ reduxit. Suscepto autem regno Pyrrhus, primũ in Corcyræos bello incubuit, quod insulam è suorum finium regione positam uideret, nolletq; aduersus se hostibus eam stationẽ esse. At uero cum res Lysimachi paulo ante scriberemus, satis exposuimus, capta iam insula, quot à Lysimacho incommodis Pyrrhus affectus fuerit, eo bello quod aduersus illũ gessit: atq; etiam ut Macedonia eiecto Demetrio sit potitus, & rursus à Lysimacho inde expulsus, ac quæ memoratu digna eo tẽpore gesserit. Illud certe satis constat, ante Pyrrhum cum Romanis bella gessisse Græcorum neminem. nulla enim Diomedis Argiuorumq;, qui eius socij erant, cum Aenea pugna commemoratur. Athenienses etiam, qui cum alia, tum Italiam se omnem subacturos, spe conceperat, ne Romanis bella intentarent, clade prohibiti sunt, quam ad Syracusas acceperunt. Alexander autem Neoptolemi filius, gentilitate cum Pyrrho coniũctus, & natu maior, in Lucanis antè mortuus est, quàm aciem cum Romanis conferere potuerit. Quare hic Pyrrhus primus ex Græcia, quæ ultra Ioniũ est, in Romanos exercitum traduxit: atq; idipsum Tarẽtinorum auspicijs. illis enim prius cum Romanis bella erãt: sed suo Marte stare contando haud quibant. Adductus autem est ut opem ferret, beneficij accepti recordatione. nam in bello aduersus Corcyræos, classe & subsidio affuerãt. Permotus uero inprimis legatorum, qui à Tarentinis uenerant, oratione: qua uniuersæ Græciæ Italiam fœ-

Pyrrhi res.

licitate

licitate parem esse demonstrantes, illud subijciebant, iniquum esse tempora ab eo negligi, cum & amici essent, & ad eum supplices accessissent: repetebat memoria Pyrrhus, cum hæc audiret, Troiæ excidium: fortunaq; se eo in bello usurum confidebat. quoniam ipse ab Achille genus ducens, in Troianorum coloniam arma moueret. Postquam igitur eiusmodi consilium probauit (qua erat diligentia in his rebus peragendis, quas constituisset) è uestigio longas naues * instituit, * uictoria parat nauigia, quib. milites equiq; ueherentur. Libri uerò quidam feruntur autorũ sanè non admodum historia nobilium, quibus inscriptio est, Rerum gestarum Commentarij: quos cum præ cæteris in manus sumpsissem, plurimum mihi admirationis attulit Pyrrhi nõ solum audacia, quam in pugna præstabat, sed & prudentia, qua futura semper certamina prospiciebat. Nam eo quoq; tempore cum classe Romanis inscijs in Italiam traiecit, ac repentè quidem, eius aduentum illi non sensere: sed cõmissa iam à Romanis cum Tarentinis pugna, tum primũ certè cum exercitu apparuit. factaq; * statim in Romanos impressione, terrorẽ illis (ut par erat) intulit. Non ignarus autẽ se militari robore Romanis inferiorẽ esse, elephantas parauerat, quos in mediam pugnam immitteret. Cæterum elephantas primus in Europa Alexander possedit, cum Porum Indorumq; imperiũ euertisset. Post Alexandri uerò obitum, cum alij reges, tum Antigonus plurimos habuit. Pyrrhus autem belluas inter spolia cepit, post pugnã aduersus Demetrium. Tum uerò insolito eorũ aspectu Romani aliud quàm feras esse arbitrantes, perterriti sunt. Omnes enim * abhinc multis annis elephantas & rebus gerendis adhiberi, & in hominum esse potestate nouerant: sed

ἐπλήρου. στρογγύλα rotunda.

παρ' ἐλπίδα.

Elephantorum in prælijs usus.

* ἐκ παλαιοῦ.

antequam Macedones in Asiam transirent, elephantem præter Indos Afrosq́ ac eorum finitimos populos nemo unquam uiderat. Id quod ex Homero etiam facilè agnoscas. Is enim cum regum, qui rerum copia inter eos præstabant, lectos ædesq́ ebore ornatas

Elephanti Homero incogniti. referret, de elephãtis mentionẽ nusquã fecit: quem si aut uidisset aliquando, aut de eo fama aliquid audiuisset, longè libentius (ut ego quidem sentio) eam cõmemorationẽ inseruisset carmini, quàm pumilionũ gruumq́ pugnam.

Pyrrhus in Siciliam. Interea Syracusanorum legati Pyrrhum in Siciliam adduxerant: qui Pœnos in prouinciam transgressos, urbes omnes Græcas uastasse: demum Syracusas, quæ tantum restabant incolumes, obsedisse nunciarunt. His auditis, Tarentum, Italosq́ oram littoralem tenentes reliquit. In Siciliam uerò traijciens, Pœnos à Syracusarũ obsidione discedere coëgit: tum quod animaduertebat, Pœnos inter Barbaros omnis rei maritimæ peritia excellere (erant enim à Tyrijs Phœnicibus oriundi) aduersus eos in bellum nauale sese instruxit Epirotarum societate: quorum plerique neq; statim Ilio capto, neq; ad id tempus nauigatione uti sciebant. id quod Homeri uersus ex Odyssea indicat: οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν

Ἀνέρες, οὐδέ θ' ἅλεσι μεμιγμένον εἶδαρ ἔδουσι. Hoc est,

Queîs mare, & intactæ sunt salsis fluctibus undæ.

Pyrrhus uictus. Tum igitur superatus nauali pugna, his nauib. quæ ex prælio supererant, Tarentum redijt: ubi magnum accepit incõmodum. Sed quum rediret, quando intelligebat Romanos nõ incruenta uictoria arma deposituros, uires in hunc modum reparauit. Etenim post reditum ex Sicilia rebus profligatis, literas primum in Asiam, ad Antigonumq́ misit: quibus, ab alijs regibus militem, ab alijs pecuniam, ab Antigono uerò

no uerò utrunq; petebat. Sed ubi nuncijs redeuntibus literas ab ijs accepit, aduocatis Epirotarum Tarentinorumq; magistratibus, nihil quidem ex literis legit, sed tantũ affutura auxilia nunciauit. Eadem & ad Romanos fama celeriter perlata est, Macedonas, aliasq; Asiæ nationes, Pyrrho suppetias mari traijcere. Romani his auditis, taciti quiescebant. Pyrrhus, ut aduenientibus socijs occurreret, noctu ad ea promontoria, quæ Ceraunia appellantur, transfretauit. Clade itaq; accepta in Italia, copias interea recreauit. Et cũ alia quoq; in Antigono criminaretur, tum quod in Italiam sibi auxilium non misisset, bellum ei indixit, atq; Antigoni apparatu omni, & conducto milite Gallo potitus uictoria, ad maritimas præterea urbes persecutus est, mox superiori Macedonia Thessalisq; in ditionem redactis. Testantur autem prælij illius magnitudinem, ac Pyrrhi uictoriam, dicata Celtarum spolia in Itoniæ Mineruæ templo, quod inter Larissam est & Pheras, hoc ipsis addito epigrãmate:

Ceraunia.

Pyrrhi de Antigono uictoria.

Τὸς θυρεὸς ὁ μολοσσὸς ἰτωνίδι δῶρον ἀθάνᾳ,
Πύῤῥος ἀπὸ θρασέων ἐκρέμασεν γαλατᾶν,
Πάντα τὸν ἀντιγόνου καθελὼν στρατὸν, ὃ μέγα θαῦμα
Αἰχμηταὶ, καὶ νῦν καὶ πάρος αἰακίδαι. Hoc est,

Hæc tibi dona refert, clypeos, Itonia Pallas,
Aeacides Pyrrhus, quos audax Gallata in armis,
Et magnæ Antigoni bello amisere cateruæ.
Quæ quondã Aeacidis armorũ gloria parta est,
Permanet, inq; suos se iactat palma nepotes.

Atq; hos quidem uersus istic. Ioui autem Dodonæo suspensis Macedonum scutis, hanc inscriptionem addidit,

Αἵδε ποτ᾽ ἀσίδα γαῖαν ἐπόρθησαν πολύχρυσον,
Αἵδε καὶ ἑλλάδι τὰν δουλοσύναν ἔπορον.

Νῦν δὲ Διὸς ναῷ ποτὶ κίονας ὀρφανὰ κεῖται,
Τὰς μεγαλαυχήτου σκῦλα Μακεδονίας. Hoc est,
Victores hi quondam Asiæ, gazaꝗ superbi,
Imposuere tibi Græcia magna iugum.
Sed nunc in templo pendent affixa columnis
Hæc de Spartanis parta trophæa Ioui.

Pyrrhus autem, quum parũ abesset quin Macedonas in ditionem penitus redigeret, Cleonymi autoritate & consilijs prohibitus est: cum ipse præterea suopte ingenio ad ea se facilè cõuerteret, * quæ proxima uio larentur. Nam Cleonymus, qui, ut Pyrrhus omissis Macedonũ rebus in Peloponnesum moueret, suasor extitit, ipse Lacedæmonius, hostilem aduersus Macedonas in eorum fines exercitum duxit: ea causa permotus, quam ego ab illo oriundus exponam. Pausaniæ, qui ad Platæam Græcorum imperator fuit, Plistoanax genitus est filius: ex quo Pausanias: & ex eo Cleombrotus, qui in acie aduersus Epaminondam Thebanosꝗ in Leuctris pugnando occubuit. ex Cleombroto Agesipolis, & Cleomenes: qui fratre sine liberis defuncto, regnum adeptus est. atq; ei geniti, Acrotatus & Cleonymus filij: quorum Acrotatus maior natu, Cleonymus iunior erat. Itaq; Acrotatũ pater adhuc uiuens amisit: deinceps Cleomene mortuo, oborta est inter Cleonymum Areumꝗ Acrotati filium de regno cõtentio. Quare persequens factum Cleonymus, Pyrrhum in fines adduxit. Porrò Lacedæmoniorum nulla clades ante Leuctricam extiterat: ut nondum pedestri se certamine uictos * iactarent. Leonidæ nanq; in uictoria de Medis, cæde fessum militem defecisse, ut ad internecionem hostis deleri nequiuerit: Atheniensiũ autem ac Demosthenis factum ad Sphacteriã insulam, latrocinium belli, non uictori-

* ἑλέσθαι τὸ ἐν χερσίν.

Pausaniæ genus à Cleonymo.

* Vt nedũ concederent, ὥστε οὐδὲ συνεχώρησαν.

uictoriã fuiſſe, dicebãt. Sed aduerſo primũ Marte in Bœotia pugnarũt: maiore mox detrimẽto affecti, Antipatri & Macedonũ armis: Demetrij tertio loco bellũ, eos improuiſa calamitate occupauit. Deniq; cum Pyrrhus eò irrupiſſet, quum quartò iam hoſtilẽ uiderent exercitũ, bellum unà cum Argiuis, & Meſſenijs auxiliarib. pararunt. Simulac uerò Pyrrhus ſeſe effudit toto robore, ab urbe primo impetu capienda parum abfuit. Sed cum per agrũ populabundus inceſſiſſet, abacta præda, temporis aliquantũ ad requiẽ ſumpſit, at hoſtes ad obſidionẽ res cõponere, urbe adhuc ex bello aduerſus Demetrium altis foſſis, uallis, aggerumq; caſtellis munita. Eodem tempore dum Laconicum uigeret bellum, Antigonus Macedonum oppida * munitionib. ut confirmauit, in Pelopõneſum profectus eſt. credebat enim Pyrrhum, capta Lacedæmone, & magna Peloponneſi parte, in Epirum non rediturũ eſſe, ſed in Macedonas arma conuerſurum. quum autẽ Antigonus copias ex Argo in Laconiam traducere meditaretur, Pyrrhus interuenit, uictorq; fugientes intra mœnia compulit: atq; ibi cum totus exercitus, ut par fuit, dilaberetur (pugnantib. autem tecta, phana, angiportus intercedebant) ab omnibus deſertus eſt, capiteq; uulneratus: alij tegula à muliere percuſſum, in terijſſe prodiderunt. Argiui autem non mulierem, ſed Cererem, ſumpta muliebri forma, necis autorem extitiſſe affirmant. De Pyrrhi cæde hæc ab Argiuis referuntur: & Leuceas, *qui gentis exponit inſtituta & conditiones, eadem carmine cecinit. Cereris præterea fanum ibidem eſt, oraculo reddito, ubi Pyrrhus interijt: & eiuſdem in eo tumulus. Subit uerò ſanè admiratio cogitantem, omnibus qui Aeacidarum cognomine cenſebantur, unam necis ſortem di-

Spartanorũ aliquot clades.

* ἀνασωσάμενος.

Pyrrhi interitus.

* ὁ ἐπιχωρίων ἐξηγητής.

Aeacidarũ mortis sors eadem. tem diuinitus obtigisse. Siquidem Achillem à Paride Priami filio & Apolline interfectum, Homerus scribit. Pyrrhi Achillis filij cædem, oraculum Delphicis imperauit. postremò Pyrrhus Aeacidæ filius ibi diem obijt, ut Argiuorum fides asseuerat, & Leuceas carmine complexus est. Hieronymus tamen Cardianus hæc inter se non consentire, scriptum reliquit. Is enim qui apud regem uiuit, omnem in illius gratiam

Philistus. historiæ rationem conferat necesse est. Quod si Philistus reprehensione uacat, qui, quoniã restitutionẽ in Syracusas patriã ita sperabat, nefaria Dionysij scelera

Hieronymus Cardianus. suppressit: Hieronymus profectò dignus uenia est, si pro Antigoni uoluptate omnia conscripsit. Atque ita Epirotarum robur in eiusmodi exitum deflexit.

*ᾠδεῖον. Porrò Athenis quum * theatrum ingrederis, cum alia egregia, tum Dionysius tibi occurrit, opus egregium: & proximè fons, quem Enneacrunon, id est, nouem tuborum appellant. illum enim Pisistratus ea architectura concinnauit. Tota quidem urbe putei scaturiunt; sed hic unus fons est. Et supra fontem quidem, Cereris ædes, ac Proserpinæ, in qua Triptolemi quidem est statua. Hoc igitur loco scribenda statui, quæ de Triptolemo referuntur: his prætermissis, quæ

De Triptolemo. narrantur de Deiope. Athenienses & Argiui ut inter Græcos præcipuè de uetustate contendunt, munera quoque à Dijs olim accepta ostentantes: ita inter barbaros Phryges, atque Aegyptij. Aiunt igitur illi, Cererem cum Argos aduenisset, à Pelasgo hospitio susceptam fuisse, ubi de filiæ raptu à Chrysanthe, quæ id nouerat, edocta fuerit. Trochilum deinde Cereris sacerdotem, quum ob Agenoris simultatẽ Argis dif-

ἐξ ἐλευσῖνος. fugeret, in Atticam peruenisse, ductaque uxore * Eleusina, suscepisse liberos Eubuleum & Triptolemum.

hæc

hæc Argiui. Athenienses uerò, ac eorum finitimi, Triptolemum Celei filium, primum * satiuos fructus coluisse non ambigunt. Musæi sanè carminibus uulgatum est (si quidem hæc quoq; Musæi sunt) Triptolemum Oceano Terraq; genitum esse: & Orphei uersus feruntur, qui & ipsi ab Orpheo scripti mihi non uidentur, Dysaulē asserentes Eubulei Triptolemiq; patrem extitisse: quibus quoniam filiæ raptum indicarunt, Ceres frugum sationem dederit. Chœrylus autem Atheniensis in Alope tragœdia, Cercyonem Triptolemumq; fratres, ex Amphyctionis filiabus genitos. Rarum autem, Triptolemi patrem: Cercyonis uerò, Neptunū fuisse ait. Hanc porrò historiæ partem, et omnia de templo interpretanda, quod Athenis quidē est, sed Eleusinium dicitur, copiosius explicarem, nisi uiso in somnis deterritus essem. ad ea igitur me conuerto, quæ omnibus aperire fas est. In templi uestibulo, ubi & Triptolemi est statua, bos quoq; ænea uisitur, qualis ad sacrificium duci solet. Effictus autem ibidem est Epimenides Cnosius sedens: quem in agrum egressum, quum speluncam subijsset, somno captum fuisse ferunt, neq; ante quadragesimum annum experrectum: atq; ex eo tempore eundem carmina cōposuisse, lustrasseq; cū alias urbes, tum Athenas. Thales uerò, qui Lacedæmonijs morbos sedauit, neq; Epimenidis popularis fuit, neq; ulla præterea necessitudine cum eo coniunctus. sed Epimenides Cnosius fuit: Thaletem uerò è Gortyna fuisse, Polymnastus Colophonius ait, qui Lacedæmonijs uersus in illum scripsit. Longè autem posterius templum Eucliæ (* quam Romani iustam appellant) & idipsum Medorum, qui regionem Marathoni adiacentē occuparunt, donariū. Ea uictoria Athenienses plurimum

* ἀκαρπὸν ἥμερον.

* Græcus non habet.

dri frater esset, equitũ eius & auxiliariorũ imperium assumpserat. In ea porticu primo loco Athenienses instructi sunt, in Oenoë Argiuorum loco, qui è regione Lacedæmoniorum adiacet: nec contentio adhuc feruens, aut medium prælij certamen pictum est, sed leuiter cõmissa pugna, & primus congressus. In medio parietis spacio Theseus & Athenienses cum Amazonibus pugnant: ut hæ solæ mulieres aduersis casibus nequaquam deterritæ fuisse uideãtur, quo minus periculis se ultro semper obijcerent. Siquidem capta ab Hercule Themiscyra, amissoq́ exercitu quẽ aduersus Athenienses miserant, tamen uenerunt ad Troiam, bellumq́ cum Atheniensib. & Græcis quoque reliquis omnib. gesserunt. Post Amazonas Græci sunt, euerso iam Ilio, & reges qui conuenerunt ob Cassandram ab Aiace uiolatã. Et Aiacem ipsum pictura repręsentat: atq́ inter reliquas captiuas, Cassandram. Extremam picturæ partem occupant, qui in Marathone depugnarunt, Bœotij, qui Platæam tenent, & quotquot Athenienses aderant, manum conserere parant cum Barbaris: qua parte æquo marte, pariq́ uirtutis admiratione pugnatur. Intra prælíantium tumultum fuga est Barbarorum, inuicem se in paludem urgentium. Postremò pictæ Phœnicum naues, & Græci Barbaros qui eò incidunt cædentes. Ibidem pictus Marathon heros, à quo nomen campus accepit: & Theseus, toto corpore fictili: Pallasq́, & Hercules. Marathonij enim se primum diuinos Herculi honores instituisse aiunt. Ex his qui pugnãt, tota pictura eminent in primis, Callimachus, qui ab Atheniensibus imperator electus fuerat: & inter duces, Miltiades: & heros. qui Echetlus dicitur, cuius mentionem rursus paulo pòst faciam. Ibi scuta ænea

Amazones.

Marathon heros.

Callimachus.

parua uideas, quib. inscriptũ est: alijs, * Cyreneorum fuisse: alijs, auxiliariorũ. alia præterea sunt pice oblita, ne uetustate corrũpantur: itemq́ Lacedæmoniorũ dicuntur spolia, eorũ qui in Sphacteria insula capti fuerunt. Et statuę æneæ ante porticũ: Solon, qui leges Athteniensib. tulit: paulo posterius Seleucus, quod etiã antea ei non obscurũ portentũ fuit fœlicitatis futuræ. nã Seleucus, cũ Alexãdro ex Macedonia profecturus quũ in Pella rem diuinã Ioui perageret, ligna quæ aris imposita fuerãt, ultrò simulachro sese admouerũt, arserũtq́ sine igne. post Alexandri uerò obitũ, quũ Seleucus Antigoni opes uereret, qui Babylonẽ uenerat, eaq́ de causa ad Ptolemæũ Lagi filiũ se recepisset, mox Babylonẽ reuersus est, atq́ ibi Antigonũ prælio superauit. illo enim interfecto, Demetriũ rursus Antigoni filiũ reparatis uirib. arma intentantẽ, captiuũ duxit. hoc fortunæ successu paulo pòst Lysimachi opes deleuit, omneq́ illius olim in Asia regnum Antiocho filio tradidit: ipse in Macedoniam magnis itineribus contendit. Græcorum igitur Barbarorũq́ copiæ Seleuco stipendia faciebant. Ptolemæus autem Lysandræ frater, quum * ad Lysimachũ sororis gratia confugisset, uir insigni audacia, unde fulmen appellabatur, ubi audiuit Seleuci exercitum in Lysimachiam productum esse, eum prælio fudit: rerumq́ omnium præda regibus concessa, Macedoniæ regnum ipse occupauit: ac primus ex regibus post hominum memoriam cum Galatis signa conferre ausus, ea clade interijt. Antigonus autem Demetrij filius regnum excepit. Equidem Seleucum & iustitia & pietate inter primos reges claruisse arbitror. hic enim ille est, qui Milesijs Apollinem æneum in Branchidis dicandum misit, quem Xerxes in Ecbatana Medorũ urbẽ retulerat, Hic

* σκιωναίων.

Seleucus.

* καὶ παρὰ λυσιμάχου καὶ αὐτὸς φυγών.

Ptolemæus κεραυνός.

rat. Hic idem Seleuciã iuxta Tigrim fluuium condidit, & ut Babyloniorum colonia eò commigraret autor fuit, Babylonis mœnia reliquit, item Beli templũ ei proximum, & Chaldæorũ habitationem. In Atheniensium foro, cum alia signa sunt non communia omnibus, tum in primis oleæ ara, quam cæteris Dijs Athenienses ex omnibus Græcorum colunt, quoniam humanæ uitæ, rerumq; difficultati conducat. Siquidem Athenienses non ea tantum quæ in humanitatem sunt instituta, habent: sed præcipuam quoque, & maiorem quàm alij, in deos pietatem seruant. Iccirco pudoris, & famæ, & * impetus apud eos aræ sunt. quantum autem hoc genere reliquos antecellant, ex secunda fortuna qua utuntur perspicuum est. In gymnasio, quod à foro non multũ distat, & à conditore Ptolemæum dicitur, lapides spectantur Mercurij insignes: & Ptolemæi statua ænea, & Iuba Libycus, ac Chrysippus Solensis. Iuxta gymnasium, Thesei fanum, depictaq; Atheniensium aduersus Amazonas pugna. Idem bellum effinxerunt in clypeo Palladi dicato, & in basi statuæ Iouis Olympij. Habet præterea Thesei templum Centaurorũ Lapitharumq; pugnã depictam, in qua Theseus iam Centaurum necauit, ab alijs æquo marte pugnatur. In tertio pariete picturæ ratio intelligi non potest, nisi quispiam ex Atheniensibus ipsis audiuerit: atq; id partim sanè ob temporis uetustatẽ, partim quia Micon eam historiã non omnem hunc in modum pinxit. Minos, quum Theseum aliamq; puerorum classem in Cretam egit, Peribœæ amore captus est: in quo aduersantem sibi Theseum cum alijs conuicijs affecit, tum negauit eum Neptuni filium esse. siquidem gemmam, quam ipse gestabat, in mare abiectam, sibi referre haud posset. Statimq; Minoem aiunt gemmam in mare abiecisse, &

Seleucia. Oleæ ara. ὁρμῆς Ptolemæũ gymnasiũ. Theseus Neptuni filius.

euestigio Theseũ cum gemma, & corona aurea, quã ab Amphitrite munus acceperat, è mari emersisse.
Thesei mors. De Thesei autem interitu multa, & quidẽ inter se dissentanea, referuntur. aiunt enim alij, uinctum fuisse, quoad ab Hercule redditus est; sed omnium uerisimillimum mihi uidetur, quod ita audiui: Quum Theseus Thesprotos inuasisset, ut regis eorum uxorem raperet, magnam exercitus partem illic amisit, ipseq; & Pirithous (is enim quærendæ uxoris gratia militiam susceperat) capti sunt & uterq; in uincula à rege coniectus in Cichyro oppido. Sanè regio Thesprotis cum alia multa egregia ac spectatu digna habet, tum templũ Iouis in Dodone, & * Fagũ ei sacrã.
καὶ ἱερὰ τοῦ θεοῦ φηγός. Iuxta Cichyrum palus est Acherusia, Acherónq; fluuius. ibi Cocytus quoq; labitur, aqua insuauissima.
Inferorum fictio unde poëtis. Equidem Homerum arbitror, quum hæc uidisset, commentum inferorum aggressum in poëma suum transtulisse, sumptis fluminum nominib. ab his quæ in Thesprotide sunt. Quum in uinculis Theseus eo tempore esset, Tyndari filij expeditionem in Aphidnam egerunt: oppidóq; capto, Menestheum in regnum reduxere. Menestheus filiorum Thesei, qui ad Elpenorem in Eubœam clàm emandati fuerant, nullam rationem ducebat. Sed quoniam Theseo, si aliquando à Thesprotis reduceretur, se uiribus haud parem fore intelligebat, popularem beneuolentiam sibi conciliauit: ut si Theseus aliquando seruatus rediret, eũ excluderet. Interea Theseus in Cretam ad Deucalionem mittitur: sed tempestate in Scyron insulã delatus, à Scyrijs honorificentissimè susceptus est. adducebantur enim generis gloria, & autoritate, quam sibi
Thesei templum. Theseus comparauerat. iccirco Lycomedes ei necem per insidias struxit. Thesei certè templum Athenis fuit,

nis fuit, post Marathonem à Medis occupatum, cum Cimon Miltiadis filius Scyron insulam incolis desertam reddidisset, ultus eo pacto Thesei necem, ossaq; Athenas retulisset. Castoris uerò & Pollucis ædes uetusta est: ibiq; ipsi stant, & pueri equis insident. Polygnotus, cui illorum res gratæ fuerunt, ibi nuptias filiarum Leucippi pinxit. Micon autem eos addidit, qui cũ Iasone Colchos nauigarunt. In Acasto, & illius equis, præcipuè ipsum picturã elaborasse, facilè dignoscas. Supra Castoris Pollucisq; ædẽ Aglauræ lucus. Huic uerò & Hersæ Pandrosoq; sororibus, Mineruam ceu depositum tradidisse Erichthonium aiunt, cistæ impositum, addito interdicto, ne depositi perquirendi curiosæ essent. Pandrosumq; in officio fuisse: reliquas duas, quoniam cistam resignauerant, uiso Erichthonio fur[illegible]e cœpisse, & ex arce qua maximè locus præceps erat se deiecisse. Hac parte Medi ingressi, cædem ediderunt eorum Athenienſiũ, qui aliquid amplius quàm Themistocles ex oraculo sibi intellexisse uidebantur: arcemq; lignis & uallis muniuerunt. *Castoris & Pollucis tẽplum.*

Propè est Prytaneum, in quo leges Solonis scriptæ sunt, deorumq; simulachra Pacis & Vestæ: aliæq; statuæ multæ, & Autolyci pancratiastæ. nam quæ sunt Themistoclis & Miltiadæ imagines, Thracio alterã, alterã Romano homini ascripserũt. Inde ad inferiorẽ urbis partẽ descendenti Serapidis templũ occurrit, quem deum Athenienses à Ptolemæo acceptum introduxere. huius templa in Aegypto magnificentiss. apud Alexandrinos uetustissima in Memphi uisuntur. Certè in eius ædem nec peregrino, nec sacerdoti prius ingredi fas est, quàm Apim sepeliuerit. Inde nõ procul locus ostenditur, ubi amicitia inita, Theseum Pirithoumq; Lacedæmonem, & mox in Thesprotas *Prytaneum.* *Serapis.*

missos fuisse affirmant. Subest Lucinæ templum, quam deam ex Hyperboreis in Delum uenisse fama est, ad leuandos Latonæ parturientis dolores: atque inde Lucinæ nomen ad alias quoque gentes manasse. Huic deæ sacrificant Deliaci, & laudes canunt ab Olene scriptas. Cretenses uerò qui Cnosium agrum incolunt, Lucinam in Amniso natam arbitrantur, ac filiam esse Iunonis. Eum autem ritum Athenienses tantum seruant, ut Lucinæ ad imos usque pedes obnubãt simulachra: quorum duo Cretensia esse, & à Phædra in donarijs posita, mulieres affirmant: tertium, quod uetustissimum est, ab Erisichthone ex Delo allatum.

Lucina.

Porrò antequam ad Iouis Olympij peruenias (templum est ab Hadriano Romanorum imperatore structum, & statua magnitudine excellenti, quantos nec Rhodij nec Romani colossos habent) eiusdem generis aliæ statuæ ostenduntur, ex ebore atque auro illæ quidem fabricatæ, spectantium quoque oculos detinente artificio. Ibidem Hadriani statuæ duæ, marmore Thassio: duæ item Aegyptio. Ante columnas æneæ sunt, quas Atheniẽses urbes municipales appellant. Totum ambitum, qui ad stadia circiter quatuor protenditur, statuæ cõplent. nam unaquæque ciuitas, Hadriani Imperatoris statuam dicauit. Omnes autem, Athenienses superarunt, posito ei post templum colosso insigni. Intra ambitum hæc uetusta sunt: Iupiter æneus, Saturni & Rheæ fanũ, ac lucus qui Olympiæ dicitur. ibi pauimentum * in cubiti latitudinem dehiscit, quà post Deucalionis diluuiũ aquã defluxisse referunt, & farina tritici melle admixtã eò quotãnis inijciunt. Eminet ibidẽ Isocratis statua colũnæ imposita. is tria sui monumenta reliquit: solidiss. roboris unũ, quòd quum ad nonagesimũ octauũ annum peruenerit,

* ἐσὸν ἐν πῆχυν διέστηκε.

Isocratis monumenta tria.

uenerit, nunquam ita elanguit, ut discipulos non docuerit: alterum modestiæ maximæ, quod ciuitatis administratione abstinuit, neque unquam de negocijs publicis curiosus fuit: tertium summæ libertatis, quod dolore affectus ob nuncium de pugna Chæronensi allatum, optatò diem suum obijt. Positi etiam illic sunt Persæ, marmore Phrygio, tripodem æneum sustinẽtes, bellè elaborati et ipsi & tripos. Antiquum autem Iouis Olympij delubrum, à Deucalione structum fuisse existimant, tumulum in coniecturam afferentes, quem Deucalion non multum distantẽ à templo, quod nunc uisitur, erexit. Hadrianus præter alia quæ Athenis condidit, Iunonis templũ, & Iouis Græcanici, ac ædem dijs omnib. communem constituit. Præcipuæ claritatis illic sunt centum & XX. columnæ marmoris Phrygij: ac parietes, eundem in modũ porticib. astructi: & cubilia tectis auro & alabastrite ornatis. Picturis præterea ac imaginibus cõiuncta bibliotheca cum gymnasio, quod Hadriani appellat: in quo centum columnæ, ex marmoribus * excisis in Lyciorũ metallis. Post Iouis Olympij templũ proximum est Apollinis Pythij simulachrũ: atq; aliud templũ, quod Apollinis Delphinij cognominatur, de quo illud narrant, ut à templo ad culmẽ usq; ædificato, Theseus in urbem omnibus adhuc incognitus aduenerit, ueste talari ac compositis crinibus: & quum ad Delphinij templũ peruenisset, qui culmen inducebant, irrisione quadam rogauerunt, Cur quũ uirgo collocanda esset, sola uagaretur? Theseus nihil aliud responderit, sed seiunctis bubus à curru, quem illi habebant culmum, altius eiecerit quàm templi culmen struebant. De loco quem Hortos appellant, & Veneris templo, nullam ex antiquitate causam commemo-

λιθοτομίας τῆς λιβύσσης

memorant: ac ne de Venere quidē, quæ iuxta templū posita est quadrangulari figura, quali sunt etiam hermæ. Epigrāma tamen testimoniū facit, Venerem cœlestem maximam esse Parcarum natu. Eius autem simulachrum in hortis, opus est Alcamenis, & inter ea quæ Athenis in precio sunt, præcipui spectaculi. Tēplū uerò Herculis, Cynosarges, id est, canis albæ cognominatum: quæ ignota non est his, qui illius oraculi meminerunt. * aræ Iouis & Hebæ, quam Iouis filiam, Herculi nupsisse arbitrantur. Alcmenæ quoq; ara, & Iolai, qui multorum laborum Herculis socius & particeps fuit. Lycium uero ipsum, à Lycio Pandionis filio nomen inditū habet. Apollinis autem existimatum olim est templum, & memoria nostra. Deus sanè Lycius hic primum appellatus est: & Termissenses, ad quos Lycius quum Aegeum fugeret primum uenit, Lycij appellati dicuntur. Post Lyciū Nisi tumulus est, quem Megarensium regem à Minoē interfectum, Athenienses eò delatum sepeliuerunt. De hoc illa referuntur, quod crines quosdam purpureos in capite habuerit, oraculumq; responderit, eum uita excessurum, cum primum * succensi essent. Igitur ubi Cretenses in eius fines inuaserunt, alijs Megarensium oppidis incursione captis, Nisum, qui ad Nisæam cōfugerat, ab hoste obsessum: quo tempore Nisi filia Minois amore capta, patris comā totonderit, atq; hunc in modū res gesta narratur. Fluuij Athenis labūtur, Ilissus, & qui in eū immittit Eridanus, Gallico Eridano cognominis. Hic est Ilissus, iuxta quem Orithyiam ludentem, à Borea raptam fuisse, eiq; nupsisse aiunt. Hunc eundem * longitudine Atheniensib. opitulatum, multas Barbarorum triremes perdidisse. Opinantur quidem Athenienses, Ilissum alijs quoq; Dijs

βωμοὶ δὲ ἀσιν ἡρακλέας τι καὶ ἥβας.

Nisus rex.

ἐπὶ ταύτας ἀποκαρείσας.

εἰλιαστί.

Eridanus.

* διὰ τὸ κῦδος.

Dijs sacrum. Musarum certè Ilissiadum ara iuxtà exurgit, & locus ostenditur, ubi Peloponnesij Codrum Melanthij filium, Atheniensium regem interficiunt. Vbi Ilissum traieceris, ager occurrit, qui Agræ dicitur: & Dianæ * agrariæ templum: quo loco primum Dianam uenationem exercuisse, quum ex Delo uenisset, fama est. qua ratione eius simulachrum, arcum habet. Quod autem sequitur, non facilè audientibus uerisimile uideatur, intuentibus certè magna est admiratio: candido marmore stadium, quantū oculis quispiam assequi ualeat. Supra Ilissum mons protenditur, paruis initijs paulatim crescens, fluuij ripam demum pertingit, rectus ibi, & * duorum stadiorū. hunc Herodes Atheniensis construxit, multumq; ex lapidicinis * in id opus absumpsit. A Prytaneo uia ducit, quē Tripodas nuncupant: unde locus quoq; dicitur. deorum templa ibi magna, & tripodes ænei positi, operibus quæ continent insignes. satyrus enim illic est, quo Praxitelem admodum gloriatū referunt. ac Phryne quondā interrogante, quod'nam pulcherrimum haberet opus, pollicitum se daturum quod illa planè appeteret: aperire autem noluisse, quod ipse pulcherrimum iudicaret. Interea Phrynes puer accurrens, nūciauit, Praxitelis taberna incendio correpta, magnam operū eius partem consumptam esse, nondum tamen omnia deleta. Euestigio Praxiteles ex foribus sese proripiens, nihil laborū suorum restare aiebat, si Satyrum & Cupidinem flamma corripuerit. Phryne eum bono animo esse, & manere iussit: nihil enim calamitosū accidisse: Sed eo dolo captum, quæ pulcherrima opera fecisset professum fuisse. atq; ita Phryne Cupidinē elegit. Iuxta Bacchi simulachrū in templo Satyrus est puer, & poculū porrigit. Cupidinem

Codrus.

ἀγροτέρας

Stadium è marmore.

διαυλον.

τοὺς πυριλέοντας.

Praxitelis Satyrus & Amor.

f

nem Bacchumq; simul positos Thymilus effinxit. Vetustiss. autem Bacchi ædes, iuxta theatrum. Intra munitionẽ duo Bacchi templa, & totidem eius simulachra: quorũ alterum Eleutherius, alterum Alcamenes auro et ebore fecit. Pictus ibidem Dionysius, Vulcanum in cœlum reducens. nam hæc quoq; Græci narrant, Iunonem Vulcanum simulac natus est abiecisse. cuius iniuriæ is memor, aureã sellam ei dono miserit: additis uinculis, quæ cerni non poterant. atque ita cum Dea sederet, uinctã fuisse. Deorum autẽ nulli fidere Vulcanũ uoluisse: sed enim Bacchus, cui Vulcanus potissimum fidebat, ebrium factum in cœlum duxit. Hæc picta sunt: & Pentheus, ac Lycurgus, dantes pœnas ob ea quæ in Bacchũ contumeliose egerunt. tum Ariadne dormiens, Theseus soluens, Bacchus ad Ariadnæ raptũ accedens. Iuxta Bacchi templum, ac theatrum, molitio quædam est, quam ad exemplum tentoriorum Xerxis structam fuisse affirmant: quæ etiam instaurata fuit. nam prior Syllæ Romanorum imperatoris, captis Athenis, incendio conflagrauit: cuius belli causa hæc cõmemoratur, quod Mithridates Barbarorum regnum obtinebat, qui Põtum accolunt Euxinum. hic uerò qua occasione arma Romanis intulerit, & quo pacto in Asiam transierit, quot'ue urbes aut ui ceperit, aut sibi iunxerit fœdere, curæ sit perquirere his qui Mithridatis res gestas scire cupiunt. Ego id tantum, quod ad Athenarum captiuitatem pertinet, exponam. Aristion quidam Atheniensis, quo legato ad ciuitates Græcas Mithridates utebatur, Athenienses sollicitauit, ut Mithridatem Romanis obijcerent: qua in sententia non tamen omnes fuere Athenienses, sed uulgus tantum, & qui in plebe rerum nouarum cupidi erant, at qui aliquo dignitatis

Vulcani casus.

Syllæ in Athenienses bellum.

gnitatis

nitatis loco Athenis erant, sponte Romanis se addide rant. Pugna commissa, Romana acies longè lateq; uicit. Aristionem & Athenienses in fugam uersos, ad urbem usq; insectati sunt: Barbaros uerò, & Archelaum (qui Mithridatis ductor erat, quem antea Magnetes, qui Sipylum incolunt, facta eruptione uulnerauerãt) in Pireum, magna Barbarorum strage edita. Obsidione igitur Athenienses premebantur. Interea Taxilus Mithridatis ductor, Elateam Phocidis urbem obsidebat. Quum ei autem res nunciata esset, exercitum in Atticam abducit. id ubi Romanus imperator comperit, exercitus parte ad urbis obsidionẽ relicta, ipse quoq; cũ magna manu Taxilo in Bœotia occurrit. Tertio quàm hoc factũ est die, Romanis utroq; exercitu nunciatum est, Syllæ quidem Athenarũ mœnia capta esse, Athenas autem obsidentibus Taxilũ ad Chæroneam prælio fugatum. Reuersus Sylla Athenienses, qui contrà steterant, in Ceramico clausos *decimauit. Et quoniam non remittebatur Syllæ iracundia in Athenienses, quidam eorũ clàm Delphos profecti, consuluerunt oraculum, an Athenas deseri esset necesse. quibus oraculum respondit, quæ ad utrem pertinent. Incidit post hoc Sylla in morbum, quo Pherecydem Syrium correptum fuisse audio. omnino in plerosq; Athenienses acerbius egit, quàm Romanum hominem decebat. tametsi hæc non fuisse ei ægritudinis causam existimo, sed Deæ iram: quoniam Aristionem, qui in Palladis templum supplex confugerat, abstractum necauit. Athenæ hunc in modum bello Romanorum afflictæ, imperante Hadriano in pristinum dignitatis florem redierunt. Visuntur etiam ignobiliorum poëtarum tragicorum comicorumq; statuæ multæ in theatro. nam eorum qui co-

ut quenq; ex singulis decadibus sors tulit, abripi ad mortem iussit.

Syllæ mors.

Menander. mœdijs claruerint, præter Menandrũ illic eſt nemo:
Euripides. Tragœdia uerò nobiles, Euripides & Sophocles. de
Sophocles. quo illud in hominum ſermone uerſatur, Sophocle mortuo Lacedæmonios in Atticã inuaſiſſe, eorumq; ducẽ in ſomnis Bacchũ uidiſſe, iubentem, ut nouã ſirenem omnibus honoribus qui defunctis haberi ſolent, ornarent: atq; ei umbram illam uiſum Sophoclem, Sophoclis tenentem poëma. Inde illud inſtitutum manauit, ut cui blandiri uolunt, eum æquiparẽt ſireni. Aeſchyli imaginẽ factam fuiſſe ſuſpicor multo poſt eius obitũ, & picturã quę bellum Marathonium cõtinet. Is igitur ſe, quũ adoleſcens eſſet, uuaſq; cuſtodiret, in agro ſopitum, Bacchum per ſomniũ uidiſſe, qui iuberet ut tragœdiã ſcriberet. prima autẽ luce, ut deo obtẽperaret, ſcribere aggreſſo, facillimè ſibi conatũ illũ ſucceſſiſſe. Hæc ille. In muro * qui ab arce ad
τῷ νωτίῳ. theatrum uergit, Meduſæ Gorgonis caput auratum eſt: iuxtaq; ægis. Ad theatri uerticem, ex medijs ſaxis ſpelunca in arcem ſubijt, impoſito tripode, in quo A-
Niobe in Sipylo. pollo & Diana ſunt, Niobes filios necãtes. Niobem ego quoq; ut uiderem, Sipylum montem conſcendi. Sed ubi propè acceſſeris, uideas ſaxum & rupem pręcipitem, nullam prorſus mulieris effigiem pręſeferentem, nec mœrorẽ. quod ſi procul abſcedas, intueri uidearis flentem, & mœſto uultu mulierem. Inter thea-
κάλως. trum & arcem, * Talus humatus iacet: quem Dædalus ſororis filium, & diſcipulum artis, interfecit, atq;
Dædalus. ob id in Cretam aufugit. in Siciliã deinde ad Cocalũ euaſit. Aeſculapij etiã ibi templũ: & in eo quæcunq; dei ſtatuæ fabricatæ ſunt, & filiorum, ut id ad picturę quoq; exemplum ſpectetur. tum fons, iuxta quem aiunt Halirrhothiũ Neptuni filiũ, ob uiolatam Alcippen Martis filiam, ab eo interfectum: atq; huius primum cæ-

mum cædis iudiciū extitisse. Posita ibi cum alia sunt, tum thorax Sauromaticus: quem ubi uideas, nihilo ad opificia Græcos Barbaris sapientiores dixeris. nā nec Sauromatæ ipsi * ferri stricturas habent, nec alij ad eos comportant: hi enim præ cæteris Barbaris rerum eiusmodi commercijs carent. ob eam igitur ferri penuriam, excogitarunt in hastis cuspidibus iunceis pro ferreis uti, item arcub. corneis, ac sagittis quoq; cuspide iuncea: hostem præterea catenis implicant, quemcunq; deprehendere possunt: atq; ita obuersis equis, catenis obuolutum distrahunt. Thoracibus uerò fabricandis hoc eorū consilium. Equarum armenta singuli pascunt, quum ager in priuatorum portiones diuisus non sit, ac Numidarum more nec quicquam ferat, præter agrestem syluam. Equabus non ad bellum solum utuntur, sed etiam dijs patrib. immolant: & ijsdem uescūtur, earumq; ungulas expurgāt, & in subtilissimas partes scindunt, inde draconum squammis opus simile texentes. Quod si quis draconem nondum uidit, piceæ saltem fructum adhuc uiridem uidit: ut sine errore hæc quæ ex ungulis fiunt, * foliculis, quæ in piceæ fructu apparent, æquiparare possit. Ea perforata, equorum & boum neruis assuūt, atq; ita utuntur pro thoracibus, qui Græcis nec inelegantiores sunt, neq; imbecilliores, nec minus uerbera ictusq; tam cominus quàm eminus illatos perferunt. thoraces uerò lintei non usquequaq; pugnantibus usu pręstant: nam ferri impetum transmittunt: uenatorib. autem sunt idonei: leonū enim pardorūq; dentes his frangūtur. cuius generis cum alibi uideas multos, tū in Gryniæo, ubi Apollinis est nemus pulcherrimum arborib. & syluestribus & satiuis, ijsq; omnibus quæ quum fructiferæ non sint, aut odore delectant,

σίδηρος ἐργάσιμος.

λεπίμασι.

ctant,

ctant, aut aspectu, qua ad arcem itur, post Aesculapij
Hyppolitus templũ, Themidis ædes est. Ante eam exurgit Hippo
lyti monumentum, cui mortem ex imprecationibus
obtigisse aiunt. Græcorum uerò nemo, uel qui barba
ram linguam didicit, Phædræ nouercæ amorem, nu-
tricisq; audax facinus ignorat. Trœzenij quoq; Hip-
polyti tumulũ habent, de quo hæc narrant. Theseus
quum Phædram ducturus esset, ne si ex ea liberos sus
ciperet, Hippolytus aut his seruiret, aut regnum eripe
ret, ad Pitheum educandum eum emandauit: ea spe,
ut Trœzeniorum in regnum succederet. Insequen-
tibus annis, Palas, & eius liberi, aduersus Theseum ar
ma mouere. quibus interfectis, Theseus Trœzena ue
nit, ut purgaretur: & unà Phædra, quæ illic primum
Hippolytũ uidit: eiusq; amore capta, id demũ machi
Mirthus nata est, quod de iuuenis interitu narratur. Mirthus
Trœzenio- quidẽ in Trœzenijs extat, quæ folia lancinata habet
rum. omni tempore. id autem accidit non statim, quod ita
τοῦ ἐς τὸν primũ germinauerint: sed * ex istius amoris mœrore:
ἔρωτα ἄσης. addita acu, quam in crinibus Phædra habuit. Vene-
Venus πάν rem communem, quam Theseus à tribubus ad ciuita
δημος. tem duxit, unà cum Pitho ex illius instituto ueneran-
tur. Antiqua earum simulachra ad meam usq; æta-
tem non peruenerant: quæ uerò tempore meo osten
debantur, elaboratæ fuerant à statuarijs non omnino
κουροτρόφου. ignobilibus. Templum quoq; est Telluris * almæ, &
Cereris Chloës. quorum cognominũ causas, si quis
cum sacerdotib. loquatur, discere licet. In arcem unus
aditus est, alterũ non accipit: est enim undiq; abrupta,
muroq; cingitur munitiss. Propylæa tectum habent
marmore candido, ac ea sanè mea quoq; ætate mar-
morum magnitudine & specie præstabant. Eque-
stres quidem statuæ quorum sint, non satis habeo ex-
ploratum:

ploratum: an Xenophontis filiorũ, an ad ornatum alioqui tantũ elaboratæ. Ad Propylæorũ dextram Victoriæ * uolucris ædes, unde mare prospicitur: et Aegeus ut fama est, inde se deijciens occidit, quum nauis quæ pueros in Cretam uehere solebat, nigris uelis rediret. Nam cum Theseus audacia quadam præditus, ad Minois taurum nauigaret, patri, si uicto tauro reuerteretur, se albis reuersurum uelis prædixit: quorum rapta Ariadne oblitus est, quocirca Aegeus, quũ nauem uelis nigris aduentare prospexisset, putans filium occubuisse, se illinc deiecit, atq; ita obijt. Ei apud Athenienses heroum est, quod Aegei dicitur. ad læuam Propylæorum, cubiculum est cum picturis, ex quibus (alijs uetustate obsoletis) hæ spectantur: Diomedes, & Vlysses, alter Philoctetæ arcum in Lemno, alter Palladium ex Ilio surripientes: & Orestes Aegisthum, Pyladesq; Nauplij filios necans, qui Aegistho subsidio uenerant. tum ad Achillis tumulum Polyxena mactanda: quod tam crudele facinus, ab Homero iure optimo prætermissum est. Mihi quidem rectè cecinisse uidetur, Scyron ab Achille captam: illi uerò minimè, qui Achillem inter uirgines in Scyro uersatum fuisse narrant, quod Polygnotus pinxit: & unà Vlyssem ad fluuium astantem uirginibus, quæ cum Nausica uestes abluebant, ut Homerus scribit. Aliæ sunt etiam picturæ, & Alcibiades, & illic eius equestris uictoriæ in Nemæa insignia. Deinceps Perseus in Seriphon defertur, Medusæ caput Polydectæ afferens. sed de Medusa in rebus Atticis nihil scribere statui. Post puerum urnas ferentem, & Palæstritem quem Timænetus pinxit, Musæus cernitur. ibi interlegi uersus quosdam, in quibus est, Musæũ Boreæ beneficio uolare; sed ut ego sentio, Onomacritus eos compo-

ἀπτέρου.

Aegei mors.

Aegei heroum.

Musæus uolans.

compoſuit, neque aliquid ſanè extat, quod ad Muſæum planè referre poſſis, niſi Lycomedis hymnus in Cererem. Ad ipſum arcis ingreſſum Mercurius eſt, quem Propylæum nominant, & Gratiæ: quod utrunque opus Socrati Sophroniſci filio tribuunt, cui ſapientiam ſummam inter mortales Apollo aſtruxit: quo teſtimonio Anacharſim non ornauit, qui id maximè affectabat, eaque de cauſa Delphos uenerat. Græci cum alia iactant, tum ſeptem fuiſſe ſapientes: & eorum in numero tyrannum Lesbium, ac Periandrum Cypſeli filium. longè tamen Periandro humaniores fuerunt, Piſiſtratus, & Hippias eius filius, rerumque bellicarum ac ciuium diſciplinæ prudentiores. Ergo propter Hipparchi cædem Hippias cum multa crudeliter egiſſet, mulierem nomine Leænam in quæſtione habuit, ad necemque excruciauit. ſciebat enim, eam ſcortum Ariſtogitonis familiare fuiſſe. Hæc ſcribo, quæ tametſi nullis antè annalibus comprehenſa fuerunt, tamen pro ueris in multorum Athenienſium peruenerunt fidem. Sed Athenienſes poſteaquam Piſiſtratigenus à tyrannide depulerunt, in mulieris monumentum ob cruciatus quos paſſa fuerat, leænam æneam ei poſuerunt. Poſt quam Veneris ſimulachrum, Calamidis opus, à Callia dicatum fuiſſe teſtantur: deinceps Diitrephis ſtatua ænea, ſagittis confixa. Hic uerò Diitrephes cum alia geſſit quæ Athenienſes commemorant, tum mercenarium è Thracia militem, qui ſerò aduenerat, quum Demoſthenes iam Syracuſas enauigaſſet, ipſe reduxit: & quum ad Euripum Chalcidicum ueniſſet, ubi intra continentem Mycaleſus Bœotiorum oppidum erat, eò ex littore profectus, urbem ui cepit: Mycaleſiorumque non tantum qui per ætatem arma ferre poterant, Thraces necauerunt,

Socrates ceps. *Septē Græciæ ſapientes.* *Leæna.* *Diitrephes.* *Mycaleſiorum clades.*

cauerunt, sed nec pueris pepercerũt, nec mulieribus Huius internecionis illud mihi argumentũ est, quod Bœotiorũ, quoscũq; Thebani euerterunt, oppida incolũtur ætate mea ab his, qui captiuitatis tempore euaserũt. Quocirca nisi Mycalesios omnes, Thraces una deleuissent strage, post eorũ discessum, qui * capti fuerant, urbẽ recepissent. Id tum ex Dijtrephis statua mihi admirationis subijt, cur sagittis cõfixa sit, quũ Græcorũ nemini præterquã Cretensib. sagittis uti institutum patriũ sit. Scimus enim Locros Opontios (quos Homerus cum arcu & fundis ad Ilion uenire facit) in bello aduersus Medos armis accinctos fuisse: ac ne Malienses quidem sagittandi studium retinuerunt, neq; ante Philocteten hanc artem illis notam fuisse arbitror, quæ non diu quoq; permansit. Iuxta Dijtrephis statuam (de ignobilioribus enim silere, in animo est) dearum simulachra sunt hæc: Hygieæ, quam Aesculapij filiam fuisse aiunt: & alterius, quæ Pallas cognominatur, sed ipsa quoq; Hygieæ est. Saxum præterea est non magnum, sed quantũ paruæ statuæ hominem sedentem capiat: in quo Silenum quieuisse referunt, quo tempore Bacchus in Atticam uenit. Satyri enim seniores, Sileni appellantur. Equidem de Satyris cum aliquid amplius scire cuperem, quàm alij tradiderunt, unius huius rei causa cum multis loquutus sum. Euphemus Car tandem, uir non ignobilis, hæc mihi recensuit: quod cum in Italiam nauigaret, uentorum impetu de cursu deiectum, & in exteriorẽ Oceanum (quò nondum quisquam nauigauit) delatum. Ibi multas esse insulas desertas, quę ab hominib. agrestibus incoluntur. alijs, ut aiebat, insulis nautæ appelli nolebant, quoniam antea in eas appulsi, incolas experti essent: sed tunc etiam præter eorum uo-

οἱ λαφύραντες.

Cretenses soli ex Græcis sagittarij.

Pallas Hygiea.

Satyri. Sileni.

Satyrides insulae. luntatem uentis eò adacti sunt. Insulae à nautis Satyrides appellantur. Incolae sunt ruffo corpore, caudas in imo dorso habentes, non multo equinis minores. Hi cum primum eorum aduentum sensissent, e uestigio nulla edita uoce occurrerunt, ac mulierib. quae in nauierant manus iniecere. Demũ nautae trepidi mulierem Barbaram in insulã demiserunt, in quam Satyri non tantum quà mos est, sed omni corporis parte libidinem exercuerunt. Alia quoq; in Athenarum arce spectaui, & * Lycij Myronis filij opus, puer aeneum urceum aquae manu tenens: Myronis etiam opificium, Perseum re aduersus Medusam gesta insignem: & Dianae Brauroniae aedes est, opus Praxitelis deae simulachrum, nomen deae inditum à Braurone tribu: ac uetus sanè in Braurone statua est, Diana (ut aiunt) Taurica. Equus uerò qui Durius cognominatur, aeneus illic positus est. Quod autem Epei opus ad Pergama diruenda machina esset, autor est qui non usquequaq; Phryges stultitiae accusare uult. De equo haec narrantur, quod Graecorum principes inclusos aluo continuerit, in quam sententiam equi figura formata est, ac Menestheus & Teucer ex eo prominent: tum Thesei filij. Omnes illic statuas equestres, & * Epicharmi imaginem, qui armatorum cursu exercitationem docuit, Critias fecit. Oenobij quoq; praeclarũ in Thucydidem Olori filium extat officium. Is enim eius decreti autor fuit, quo Thucydides Athenas reductus est, cuius monumentum non procul à portis Melitidis exurgit, ubi ille in patriam rediens insidijs perijt. De Hermolyco pancratiaste, & Phormione Asopichi filio, quoniam alij scripserũt, nihil repetam, de Phormione tamen illud addere habeo, cum cum probitate inter Athenienses praestaret, nec loco obscu

* λύκιον τοῦ μύρωνος.

Brauronia Diana.

Durius equus.

* ἐπίχαρμον.

Phormio.

ro natu

tro natus esset, æs alienum contraxisse, atque ob id in tribum Pæaniєam secessisse, ubi etiam immorabatur. Interea classis ducem quum Athenienses eum creassent, se enauigaturum negauit, quoniam ære alieno obstrictus, nullam prius nisi dissoluta pecunia in milites autoritatem exercere posset: quare Athenienses, quando eum omnino imperatorem optabant, creditoribus omnibus æs totum dissoluerunt. Adest etiam Mineruæ statua, quæ Marsyam Silenum uerberibus cædit: quoniam tibias susceperat, quas ipsa abiectas uolebat. Vltra ea quæ recensui, pugna est Thesei, quę illi cũ Minois tauro fuisse dicitur, siue ille uir fuerit, siue fera potius, quod hominum opinione inualuit: nam ætate quoque nostra mulieres monstra multo magis miranda peperere. Positus illic est Phrixus Athamantis filius, ab ariete in Colchos euectus, eum mactans: cui deo, non liquet: sed ut coniectare licet, is est quem apud Orchomenios Laphystium nominarit: & in succisas ex Græcorum ritu coxas, dum torrerentur, manũ iniјcit. Aliæ exinde ponuntur imagines, & Herculis simulachrũ: qui, ut in fabula est, angues strãgulat. tum Pallas ex Iouis capite prodiens: & taurus ab Areopagitis dedicatus. Cur autem ita egerint, uaria omnib. suspicari licet. Ego antea dixi, plus in rem diuinam studij Atheniensibus esse, quàm aliјs. nam primi Mineruam nuncuparunt Erganem. Iidem primi Mercurios truncos effinxerunt: cum quibus in templo est * bonorum omnium fortuna. At uerò si quis operum artificium pluris faciat quàm antiquitatem, eiusmodi quoque opera spectare ei licet: Cleœtæ opus est uir galeæ incumbens, cui ungues argenteos addidit: & Telluris simulachrum, pluuias Iouem rogantis, siue pro Atheniensibus tantum, siue quod u-

Minotaurus.

Pallas Ergane.

σπυδαίων δαίμων.

niuersis Græcis siccitas acciderit, unà Timotheus est, Cononis filius, & ipse Conon. Alcamenes uerò eodem loco Prognem cum re in filium gesta, ipsumq; filium Itym dicauit. Effi̇cta etiam illic planta Mineruæ oleagina, & Neptunus undam proferens, Iouisq; statua: Iupiter item qui Polieus dicitur, Leocharis opus: cuius sacrorum ritum quum explicauero, eorum causam prætermittam. Ordeum tritico admixtum, in ara Iouis Poliei appositum, nulla custodia seruant: bos uerò, quem ad sacrificium parantes custodiunt, eò accedit, frugesq; pertractat. Ex sacerdotibus unum buphonum, id est bouis percussorem nominant, hic bipennem inijcit, atq; extemplò fugit: nam sacrorum ritus ita poscit. alij eius facti autorem se ignorare simulantes, bipennem ad supplicium agunt. Hæc ita ab illis aguntur. Templum quod Parthenona nuncupant subeuntibus, quæcunq; eo loco quem Ad aquilas uocant occurrunt, ad Mineruæ ortum pertinent omnia. Posteriorem partem contentio Neptuni pro Attica cum Pallade occupat. simulachrum ipsum ex auro & ebore constat, media eius galea sphingis species apposita. De sphinge uerò scribam, quum historia nostra ad res Bœotias processerit. Vtraq; galeæ parte gryphes sunt exculpti. id uolucrum genus cum Arimaspis supra Essedonas pro auro certare, scribit Aristeas Proconnesius: & aurum quod illi obseruāt, à terra produci. Arimaspos uno tantum oculo nasci, idem autor est: gryphes autem feris similes, sed alis rostroq; aquilis. Ac de gryphibus quidem hactenus. Mineruæ simulachrum stat ueste ad imos talos demissa, Medusæ capite in eius pectore ex ebore inserto, * supra amplitudinem quatuor cubitorum, in manu hasta, ad pedes scutum iacet, iuxta hastam draco, quē Erichtho-

Iouis Poliei sacra.

Gryphum certamen.

Arimaspi.

Mineruæ statua.

ὀρθὴ νίκη.

Erichthonium esse suspicari licet. Ad statuæ basim Pandoræ generatio effícta est, de qua illud ab Hesiodo alijsq; carmine proditum est, Pandoram fuisse primam mulierem: nam ante eam muliebre genus fuisse nullum. Ibi statuas uidi nullas, præterquam Adriani tantum imperatoris, & Iphicratis, qui multa & admiratu digna gessit. Vltra templum Apollo est æneus, quod simulachrum ad Phidiæ opificium referunt: Culiciarium eum nominant, quoniam infestos olim agro culices propulsauerit. quo autē pacto id egerit, non referunt. Ego uerò culices ter in Sipylo mōte uariè deletos fuisse, memoria teneo. nam alios uentus impetu facto exegit: alios uehemens æstus, qui post himbres repentè extitit, absumpsit: alij repentino frigore oppressi periere. hæc ita illic accidisse, non ignoro. In arce Attica est Pericles Xantippi filius, & Xantippus ipse, qui bello nauali aduersus Medos pugnauit apud Mycalen. Sed Periclis statua utroq; latere posita est. Iuxta Xantippi imaginē Anacreon Teius, qui post Sappho Lesbiam, magnam partem eorū amorum quos descripsit, exercuit: eo autem habitu est, ut quispiam in ebrietate canere uideatur. Proximè autē Dinomenes mulieres, Io Inachi, & Calistho Lycaonis filiam effinxit: de quarum utraq; eadem omnino referuntur: amor scilicet Iouis, & Iunonis ira: transformatio alterius in bouem, in ursam alterius. In muro qui ad meridiem uergit, Attalus dicauit bellum, quod Gigantum commemoratur, qui in Thracia olim & ad Isthmum Pallenes habitarunt: & Atheniensium aduersus Amazonas prœliū, Marathoniumq; in Medos facinus: Galatarum item in Mysia stragem, quorū singula in binos fermè cubitos patent. Ibi etiā positus est Olympiodorus, honoris gratia rerū maxi-

Pandora.

Apollo κορνώπιος.

Anacreon.

marum quas gessit: & præsertim, quoniam ex temporis occasione animos ciuium erexit, qui assiduis cladibus conflictati spem omnem futuri temporis abiecerant. nam * incõmodum Chæroneum Græcis omnib. malorum caput fuit: nec minus eos in seruitutem redegit qui tẽpora illa neglexerũt, quàm qui Macedonum fuerunt hostes. Nam Philippus multa oppida cepit: & quum sibi percussum cum Atheniensibus fœdus dictitaret, multa eis attulit detrimẽta. Insulas enim in ditionẽ redegit, naualemq; ademit potentiam. Itaq; Athenienses neq; Philippo regnante quicquam tentauere, neq; postea Alexandro: quo uita defuncto, Macedones Aridæũ regem elegerant, omnisque regni cura Antipatro erat delata. Tunc uerò Athenienses minimè ferendũ arbitrati, ut nomen Græcum diutius Macedonibus inseruiret, primi ipsi arma mouere, coëgeruntq; alios etiam ad bellum, in cuius societate hæ urbes dederunt nomina: in Peloponneso, Argos, Epidaurus, Sicyon, Trœzen, Elij, Phliasij, Messena: & extra Isthmum Corinthium, Locri, Phocenses, Thessali, Carystus, Acarnanes qui Aetolis parent. Bœotij uerò, qui Thebanis deletis omnẽ illorum agrum possidebãt, ueriti ne Athenienses Thebas sibi coloniam facerent, non solum in eius belli societatem non uenerunt, sed quantumcunq; Macedonum nomen erat, ipsi auxere. delectum militum duces agebant, suæ quisq; ciuitatis: omniũ autem imperator declaratus Leosthenes Atheniensis, cum ob patriæ dignitatem, tum propter rerum bellicarum famam. Accedebat, eius in Græcos omnis beneficij memoria. nam Græcos, qui apud Darium ac illius principes stipendia faciebant, statuerat Alexander in coloniam transcribere in Persidem: sed Leosthenes, antequam cogitata

Margin notes: ἀτύχημα. — Alexandri mors. — Atheniensiũ in Macedonas bellũ — Leosthenes

cogitata ille perficeret, nauib. in Europam eos transuexit. Idem illis temporibus, gestis praeclarissimis hominum de se spem non fefellerat: iccirco eius morte omnibus animo consternatis, superati sunt, Macedonumq; praesidium Athenas processit, ac Munychiam primum, tum Piraeum, & muros longos occupauit. Post Antipatri obitum, Olympias quum ex Epiro eò accessisset, Aridaeo sublato, regnum aliquandiu obtinuit. Non ita multo post ipsa obsessa à Cassandro, multorum tandem * precibus condonata fuit. Cassander autem regno potitus (nam de Atheniensibus rebus duntaxat historia mihi instituta est) Panactum Atticae castellum, & Salamina cepit, effecitq; ut Demetrius Phanostrati filius, qui paterno genere sapientiae nomē adeptus erat, tyrannus Athenis constitueretur. Hūc Demetrius Antigoni filius, qui iunior erat, & nominis Graeci studio laudem quaerebat, tyrannide deiecit. Cassander uerò, ut qui graui in Athenienses odio laboraret, Lacharem ad id temporis populi principem ut de tyrannide cogitaret persuasit: hoc neq; in homines immaniorē, neq; in religionem magis impium tyrannū neminem meminimus. Et quāuis Demetrio Antigoni filio cū populo Atheniensi contentio esset, tamen Lacharis quoq; tyrannidē oppressit. arcis enim munimēto capto, Lachares in Boeotios effugit: quem fama est subsecuta, quod grandem haberet pecuniam, sublatis aureis ex arce clypeis, & Mineruae simulachro exuto, ornatu preciosissimo. Eam ob rem quidam Coronei hominem interficiunt. Liberatis tyrannide Atheniensib. Demetrius non propterea statim post Lacharis mortem Piraeum restituit: sed postea praelio uictor, praesidium in eo imposuit, munita etiam arce quam Museum appellant:

παραιτήσει τῶν πολλῶν.

Demetrius.

Lachares.

ca est

ea est tumulus quidam, è regione arcis surgens, intra ueterem ambitum, ubi Musæum canere solitum, absumptumq́ senio tandem humatum esse aiunt. sed multis pôst annis ibidem cuidam natione Syro sepulchrum extruxere. Hunc locum Demetrius munitùm occupabat. Insequenti tempore quosdam, ac eos sanè * multos, subijt maiorum recordatio, & quantùm

ἐ πολλούς.

Atheniensium nomen defluxisset: statimq́ nullo alio apparatu, Olympiodorum ducem sibi eligunt: qui eos tam senes quàm iuuenes in bellum aduersus Macedonas eduxit, sperans fore, ut suorum animis potius quàm multitudine rem fœliciter gereret. Atq; ita Macedonas, quum primum copiã pugnæ fecerunt, prælio fudit; fugatosq́ in Musæũ, locum cepit. Hunc in modum Athenæ Macedonum seruitute liberatæ sunt. Et quamuis Athenienses omnes operam eo prælio optimè nauauerint, præcipua tamen Leocriti Protarchi filij ad eam uictoriam fortitudo commemoratur. nam primus ipse ascendit, primusq́ Musæum ingressus est. Huic igitur quum in pugna cecidisset, Athenienses cum alios honores tribuerunt, tum clypeum eius nomine ac regesta inscriptis, Ioui liberatori dicarunt. Præter hæc Olympiodori gesta id quoq; præclarum facinus prædicatur, quod Piræum & Munychiam receperit: & quod cum Macedones Eleusinam incursionib. uastarent, instructis Eleusinijs, Macedonas prælio superauerit: quodq́ ante hæc omnia, quum Cassander in Atticam inuasisset, ipse in Aetoliam nauigauerit, Aetolosq́ ad opem ferendam concitauerit: quæ auxilia in primis effecere, ut Cassandri bellum auerterent Athenienses. Olympiodoro partim Athenis habiti sunt honores, & in arce, ac Prytanæo: partim Eleusinæ pictura data, & Phocenses, qui Elateam

Olympiodorus.

Athenæ Macedonũ imperio liberatæ.

Leocritus.

Elateam incolunt, in Delphis æneũ posuerunt: nam his quoque, quum à Cassandro desciuissent, auxilio fuit. Iuxta Olympiodori statuã, Dianæ cognomine Leucophrynes simulachrũ æneum existit, quod Themistoclis filij consecrarunt. nam Magnetes, quibus Themistocles Xerxis beneficio imperabat, Dianam Leucophrynen colunt. Iam necesse est historiam producam, ad res Græcorum enarrandas. *Endocus Atheniensis genere, Dædali discipulus, præceptorem * ob Tali necem fugientem in Cretam sequutus est. Huius opus est, Mineruæ simulachrum, cum inscriptione, quod Callias dicauerit, sed Endocus fecerit: est uerò delubrum etiam, quod Erechthion appellãt. Ara autem Iouis supremi, in uestibulo: ad quam nihil imolant animatum. sed institutum est, ut uarijs libamentis appositis, uino haud utantur. Vbi ingressus fueris, aræ sunt: Neptuni, ad quã ex oraculo quoque Erichtheo sacrificãt: & Butæ herois: tertia Vulcani. In parietibus, Butadarum genus depictum est. nam delubrum duplex est, atq; intus aqua marina in puteo: quod sanè non est admodum mirandũ. nam quicunq; continentem sine portu incolunt, idem habent, cum alij omnes, tum Cares potissimum Aphrodisij. Sed in hoc puteo illud historiæ memoria dignũ est, quod fluctibus resonat flante austro, & in saxo tridentis species conspicitur: quæ duo testimonia præsto fuere Neptuno, de regione certanti. Tota uerò urbs, & ager Mineruæ sacer. nam quotquot alios deos in tribub. colere instituerint, nihilominus Mineruam uenerantur: cuius simulachrũ, quod multis antè annis communi populorum consensu consecratũ, inde allatum fuit, extat in arce, quem locum eo tempore urbem appellabant. de quo fama increbuit, quod

Leucophryne Diana.

GRAECORVM RES

ἔνδοιος. διὰ τ̃ κάλω

Palladis simulachrũ διιπετές.

de cœlo deciderit: id uerum sit, nec'ne, mihi exponendum esse non arbitror. Callimachus certè lychnũ aureum deæ fecit, quo semel oleo repleto, eundem in sequentis anni diem expectant, nam id olei interea alimenta sufficit lychno, die noctuq; assiduè ardenti. Inest etiam ellychniũ ex lino *carbasino, quod unum ex omni lini genere absumi non potest. Supra lychnum palma ænea, quæ ad tectum sese effundens omnem uaporem dissipat. Lychni opifex Callimachus, quum ipso opificio primas non teneat; artis tamen scientia omnes antecellit, marmorq; primus scidit: unde Cacizotechni, id est ipsam artem atterentis nomen formauit, aut certè ab alijs formatum sibi assumpsit. In Poliadis templo positus est Mercurius ligneus, qui à Cecrope dicatus fertur: myrtheis autem ramis aspectu prohibetur. Inter donaria quæ memoratu digna sunt, peruetusta sella cum lectica, Dedali opus: spolia de Medis, Masistij thorax, qui in Platæis equitum dux erat: & acinaces, qui Mardonij fertur. Equidem scio Masistium ab equitibus Atheniensibus interfectum fuisse: Mardonius uerò, qui bellum contra Lacedæmonios gessit, & à quodam Spartiate necatus est, nec in regnum successit, nec eius fortasse acinacem prædam Atheniensibus Lacedæmonij concesserunt. De olea nihil aliud habent quod referant, nisi hanc Mineruæ testimonio affuisse in Atticæ contentione. Illud quoq; addunt, oleam arsisse, quũ Medorum incendio urbs conflagrauit: & exustam, eodem die in duorum cubitorum proceritatem germinasse. Mineruæ templo Pandrosi ædes contigua est si quidem Pandrosos ex sororibus sola in deposito culpa uacauit. Sed quæ mihi plurimum admirationis attulerunt, non usquequaq; perspecta sunt, tamen scribam ut

*καρπασίν

Pli. lib. 34. ca. 8. Vitruuius lib. 4. cap. 1.

Masistius. Mardonius.

Mineruæ olea.

bam ut se habent. Duæ uirgines non procul à Poliadis templo habitant, eas Canephoros Athenienses nuncupant: apud Deam quodam tempore permanent, & adueniente die festo hæc noctu agunt: Capiti imponunt onus, quod Mineruæ sacerdos illis gestandum dat: nec sacerdos quæ id dat, nec ipse quæ gestant, quid nam id sit intelligunt. Est autem in urbe quidam murorum ambitus, à Venere in hortis cognominata non procul, qua descensus est sub terram sponte factus: eò uirgines descendunt, ibiq́ relictis quæ ferebant, aliud nescio quid opertum tollunt: has uirgines iam hic relinquentes, alias earum loco in arcem ducunt. Apposita est templo * anus affabre elaborata, quæ in cubiti spacium patet. hæc fuisse dicitur Lysimachæ ancilla. Duæ item accinctæ ad prælium statuæ uiriles æneæ sunt, quarũ alteram Erechtheo tribuunt, alterã Eumolpo. his tamen qui Athenis sunt, et uetera memoria tenent, non excidit, hunc esse Himmaradũ Eumolpi filium, ab Erechtheo interfectum. * In pegmate sunt aliæ statuæ, quibus uaticinabatur Tolmides: & Tolmides ipse, qui classis Atheniensium imperator, cum aliorum fines uastauit, tum regionem in primis omnem littoralem, quam Peloponnesij incolunt, Lacedęmoniorumq́ ad Gythium naualia cremauit, Euboiæq́ proximas & Cytheriorum insulam cepit: inde in Sicyoniã quum transisset, populabundusq́ per agrum incederet, commissa cum hostibus qui occurrerant pugna, eos in fugam uersos ad urbem adegit: deinde Athenas reuersus, in Euboiam & Naxum Atheniensium colonias duxit. mox in Bœotiorum fines cum exercitu inuasit: & quum magnam agri partem depopulatus esset, obsidioneq́ Chæroneã in ditionem redegisset, in Haliartiam per-

Canephori uirgines.

* πρόσπολος γραῦς [margin, partly illegible: πρόσπολιν ...]

Immaradus.

* ἐπὶ τοῦ βάθρου

Tolmides.

uenit: ubi & ipse in pugna cecidit, & uniuersus exercitus fusus est. Res igitur à Tolmide gestas in hunc modum se habere audiui. Sunt item antiqua Mineruæ simulachra, in quibus tamen ob uetustatis cariem nihildum desideratur: sed admodum fusca sunt, & ad uerbera si qua inferantur sustinenda, minus firma, nam ea quoq; incendio correpta sunt, quũ, poste aquàm Athenienses naues conscendissent, Xerxes urbem cepit, his qui per ætatẽ arma ferre possent uacuã. Apri etiam uenatio: de quo non satis compertum habeo, an sit Calydonius. Herculis quoq; pugna cũ Cycno, à quo cum alios interfectos, tum Lycũ Thracem aiunt, cum ad singulare certamen ambo præmio prouocarentur, sed iuxta Peneum fluuiũ ab Hercule cæsus fuit. Trœzenæ quidem hæc à Theseo gesta referuntur: Herculem, cum Trœzenem ad Pittheum uenisset, ut pranderet, leonis pellem deposuisse: eumq; ut uiderent ingressis Trœzeniorum pueris, ac unà Theseo septimum iam annum nato, reliquos pueros pellis aspectu perterritos aufugisse: Theseum uerò arrepta à ministris bipenni, minimè sanè pauitantem, ad pellem subijsse, quam leonem putaret. Aegeũ prçterea ensem & crepidas, quæ filij * crepundia essent, sub saxo posuisse: ac deinde nauigasse Theseum Athenas. Ac decimum sextum annũ quum iam expleuisset, summoto saxo, acceptisq; Aegei * crepundijs patrem adijsse. Huius rei imago in arce effìcta est, ex ære tota præter saxum. Aliud Thesei facinus eodem loco consecrarũt, de quo hæc traduntur. Taurus Cretensem agrum cum alibi, tum usq; ad Tethrinem fluuium potissimum uastabat (nam olim feræ mortalibus magis horribiles uidebãtur: ueluti leo Nemæus, & Parnasius, serpentesq; in multis Græciæ locis: tum aper

Cycnus.

Thesei adhuc pueri audacia.

γνωρίσματα

παρακαταθήκην.

aper Calydonius, atq; Erymanthius, item ad Crommyonem agri Corinthij locum. quare rumor increbuerat, alias tellurem emisisse, alias Dijs sacras esse, alias ad mortalium supplicium missas) ac sanè Cretenses taurũ hunc à Neptuno sibi immissum aiunt: quòd Minos, qui maris imperium teneret, nullo præcipuo honore deum coluisset. Inde in Peloponnesum delatum taurum hunc, unum'que fuisse Herculi inter XII certamina. Sed ubi in campos Argiuos dimissus est, fugiens per Isthmum Corinthiũ, in Atticam peruenit, ad populũ Marathoniũ, & alios in quos excursu incidit. deniq; Androgeon Minois filiũ ab eo necatum. Sed Minos educta aduersus Athenienses classe, (quippe quos in Androgei cæde culpa non uacare arbitraretur) tantis eos malis affecit, ut de septem pueris, totidemq; uirginib. in Cretam ad Minotaurum, cum quo in Labyrintho Cnosio clauderentur, mittendis conditionẽ acceperint. Ex Marathone dein Theseus taurum in arcem egisse, deæq; immolasse dicitur. id certè à populo Marathonio munus dicatum est. Nihil uerò habeo quod pro certo afferam, cur Cylonem æneum dicauerint, qui regnum tamen affectauerat. Atqui his causis eos permotos conijcio, quoniam ille forma fuit admodum liberali, & non obscuri nominis, quum geminarum tibiarum uictoriã in Olympia fuerit adeptus: Theagenisq; filiam, qui Megaris imperabat, uxorem duxerit. Præter ea uerò quæ recẽsui, duo munera spoliorũ decimæ Athenis sunt: æneum Palladis simulachrum Phidiæ opus, de Medis dicatum, qui in Marathonem descenderunt: ac deæ scuto Centaurorum Lapitharumq; pugnam, & quęcunque elaborata sunt, Myn exculpsisse tradunt, cui Parrhasius Euenoris filius hæc aliaq; opera pinxerit, cuspidem

Taurus Marathonius.

Cylon.

Mys.

pidem hastæ, & galeæ cristam in hoc simulachro nauigantes à Sunio usque prospectant. Adiacet currus æneus, decima de Bœotijs, Chalcidensibusque qui in Eubœa sunt. duo item alia: Pericles scilicet Xantippi: & quod ex omnib. Phidiæ operibus potissimū specta tur, Palladis statua, quæ à consecrationis autoribus Lemnia appellatur. Ambitum murorū arcis, præter eam particulā quam Cimon Miltiadæ F. construxit, omnem Pelasgi induxisse dicuntur, qui olim ad arcis radices domicilia habuerunt. nomina eorum Agrolam & Hyperbiū referunt. De his præterea nihil peruestigare potui, nisi quod Siculi olim quum essent, in Acarnaniam migrauerunt. Vbi descenderis, non ad inferiorem usquequaque partem urbis, sed ad Propylea duntaxat, fons aquæ scaturit, & in propinquo est Apollinis in spelunca ædes, ac Panis: ibi Apollinem cum Creusa Erechthei filia concubuisse autumant.

Palladis Lemniæ simulachrum.

De Pane uerò aiunt, quod Philippides, quum Lacedæmonem missus esset, nunciaturus Medos in Atticam descendisse, reuersus Lacedæmonios expeditionem *reijcere retulit: quod lege in bellum ire se prohiberi dicerent, ante plenilunium. sed Philippides addebat, ad Parthenium montem Pana sibi occurrisse, affirmantē se Athweniensib. propitiū esse, pollicentemque ad Marathonē in pugna affuturum. quo nuncio hic deus in honore habitus est. Nec procul Areopagus est: qui inde nomen accepit, quod Ares, id est Mars, primus ibi causam cædis dixerit. Sed hoc quoque scripsimus, ut Halirrhotium sustulerit, & qua de causa. Postea de Oreste, ob matris necem, ibi iudicatum aiunt. Ara quoque Palladis Areæ ibi extat, quam ille absolutus constituit. Saxa uerò argentea, in quibus rei omnes accusatoresque consistunt, alterum Contumeliæ, Im-

ἀνεβάλλοντο, in aliud tempus differre.

Areopagus

Contume-

liæ, Impudentiæ alterum nuncupant. Iuxtà est dearũ templum, quas Attici Heroas appellant, Hesiodus uerò in Theogonia Erinnys: quibus Aeschylus primus crines anguibus implicitos esse finxit. Sed neq; harum, neq; aliorum deorũ infernalium, qui illic positi sunt, simulachris quicquã inest horribile. Astant Pluto, Mercurij & Telluris statua. Hic quidem ab omnibus sacra persoluuntur, quicunq; in Areopago obiecta crimina diluere potuerunt. sacrificant etiam unà peregrini, ac ciues. Intra ambitum est Oedipodis monumentum. Nam quum curiose hæc admodum perquirerem, tandem eius ossa ex Thebis allata comperi. Vt enim uerum non arbitrarer, quod de illius obitu Sophocles scripsit, autor erat Homerus, qui * Menestheũ Oedipode mortuo Thebas profectum, ad eius tumulum certasse scripsit. Sunt autem nonnulla Athenis fora etiam alia ignobiliora, ex quibus Parabyston, & Trigonum nuncupant: quorum alterum ab obscuro urbis loco, in quo situm, & quod minimæ quæq; lites illic agantur; alterum à figura nomen accepit. Batrachium uerò, & Puniceum, à coloribus appellationem ad hoc usq; tempus retinuit. Omnium uerò maximum, quoq; * frequentes conueniunt, Heliæam uocant. Alia omnia, quotquot ad iudicium de nece patent, ad Palladium appellant: ubi de percussoribus cognosci, Demophoontemq; primũ pœnas luisse, nemo ambigit: sed quo crimine, incertum est. Diomede enim post Troiam captam nauibus reuertente, quum iam nox interuenisset, aiunt naues contra Phalerum in anchoris fuisse, & Argiuos tanquam in hostilem terram egressos, cum per noctem regionem aliquã aliam, & non Atticam putarent, quo tempore Demophoontem, qui & ipse eos Argiuos esse igno-

lie et impudètiæ saxa.

μηκιστέα

Oedipi mors.

πλάτον

Demophoontis iudicium.

esse ignoraret, ad propulsandum hostem egressum, aliquot interfecisse, arreptoq; abijsse Palladio. Interea Atheniensem quendam non aduertentem, ab Demophoontis equo prouolutum calcatumq; interijsse: atque ita Demophoontem pœnas dedisse, ut alij aiunt, pessundatis necessarijs: ut aliorũ est opinio, communi Argiuorũ concilio. In Delphinio iudicium erat de his, qui se iure interfecisse contendebãt: in quod Theseus descendit, & absolutus est, cum Pallantẽ filiosq; res nouas molientes interfecisset. Sed ante Thesei absolutionem, percussor ut fugeret opus erat, aut idem mortis subiret genus. In foro ad Prytaneum, ferro rebusq; omnib. inanimatis iudicia exercent: quod inde manasse existimo, quod Erechtheo Atheniensibus imperante, tunc primum bouem ad aram Iouis Poliei, Buphonus, id est bouis percussor mactauit: bipenneq; ibi relicta, ex finibus Atticis aufugit: bipennis autem à iudicib. absoluta est. quod iudicij genus adhuc quotannis celebratur. Dicuntur alia quoque inanimata sua spõte eo iudicio homines damnasse, sed Cambysæ potissimum acinaces, opus insigne exhibuit. Est gloria insigne iuxta mare ad Piræũ * nauis, quò qui confugiunt, si posteaquam eò peruenerint aliquo alio crimine accusantur, causam ex naui perorant, iudicibus è continenti auscultantibus. Eum in modum Teucrum primum ferunt diluisse Telamoni, quod nihil ad Aiacis necem contulisset. Hæc iccirco scripsimus, ut quanto studio fora illic curentur, demonstraremus. Ad Areopagum nauis ostenditur, fabricata ad Panathenæorum pompam: quam quædam alia iam uicit. Nauigium uerò quod in Delo est, nemo adhuc (quod quidem sciam) superauit: id à tabulatis in nouem remiges protenditur. Extra urbem * in populis

Cambysæ acinaces.

* φρεαττύς.

* ἐν τοῖς δήμοις.

populis, & in itinere ipso, Athenienses deorum templa habent: heroumque, & aliorum hominum tumulos. Proxime Academia, priuati olim hominis prædium, mea ætate uerò gymnasium. quò descendentibus templum occurrit Dianæ, & simulachra * optimæ pulcherrimæque: quæ cognomina (ut ego quidem sentio, & Sapphûs carmen testatur) Dianæ sunt. Sciens tamen & aliam de his historiam, prætereo. Templum quoque non magnum, quò Bacchi liberatoris simulachrum quotannis diebus statis deferunt. Hæc templa ad hanc partem sunt: sepulchra uerò, Thrasybuli primum, Lyci filij, uiri ex omnibus quicunque aut ante aut post eum Athenis excelluerunt præstantissimi: de quo plura omittenti mihi, hæc ad historiæ fidem satis uisa sunt. Tyrannidem enim eorum qui triginta appellati sunt, ascitis sexaginta in societatem, sustulit, de Thebis initio profectus: utque Athenienses seditionibus compositis quiescerent, autor extitit. hic primus est tumulus. Deinceps uerò Periclis Chabriæ & Phormionis, itemque omnium eorum Atheniensium, quibus uel nauali prælio, uel pedestri pugna cadere contigit: his exceptis, qui in Marathone dimicarunt. nam ij ob insignem eorum fortitudinem, per totam Atticam conditi sunt. alij in uia ad Academiam iacent, & in eorum tumulis columnæ existunt, singulorum nomina & gentem continentes. Primi sepulti sunt quos in Thracia ad Brabiscū usque uictores progressos, Hedoni salute desperata irruētes deleuerunt. De quibus illud refertur, quod tanquam fulmen in eos sese immisere. Inter alios duces Leagrus fuit, cui imprimis rerū summa demandata fuerat: ac Sophones Deceleus, qui in Nemæis ludis quondam * quinque certaminū uictorem Eurybaten, Æginetis opitulantem,

Academia.

ἀρίστης καὶ καλλίστης

Thrasybulus.

Leagrus.
Sophones Deceleus.
πένταθλον.

i tulantem,

tulantem, interfecit. Atq; hæc tertia fuit Atheniensiũ extra Græciam expeditio. nam Priamo Troianisq; uniuersa Græcia publico decreto bellũ intulit. Athenienses autẽ seorsim in Sardiniam Iolao duce, mox in Ioniam, tertio in Thraciam exercitum miserunt.

ἔμπροσθεν τοῦ μνήματος

* Ante monumentum columna exurgit, quæ equites continet pugnantes, quorum hæc nomina: Melanopus, et Macartatus, qui in bello aduersus Macedonas & Bœotios periere, ubi Eleusiniæ fines cum Tanagræis dirimuntur. Deinceps equitum Thessalorum monumentum; qui cum primum Peloponnesij cum Archidamo in Atticam cum exercitu inuasere, ob ueteris amicitiæ ius præsto fuerunt. * Deinde sagittarij Cretenses iacent.

καὶ πλησίον τοξόταις κρησίν

Rursum Atheniensium tumuli, nempe Clisthenis, qui ea inuenit quibus nunc tribus constant: & equitum, qui ceciderunt, cum Thessali in periculi societatem uenere. Ibidem siti sunt Cleonæi, qui unà cum Argiuis in Atticam accesserunt: cuius facti causa à nobis perscribetur, cum historiam ad Argiuos perducam. Et eorum Atheniensium extat sepulchrum, qui * ante Xerxis bellum aduersus Aeginetas pugnauerunt. Et iustum profectò senatus consultum fuit, quo Athenienses publicam sepulturam cum seruis communicauerunt, ut eorum essent nomina quæ in columna inscriberentur. quod argumentum est, eorum officium strenuè dominis in bello adfuisse. Sed aliorum quoq; uirorum nomina illic sunt, qui uarijs in locis pugnauerunt. nam & qui inter eos claruerunt, qui ad Olynthum uenere: & Melesander, qui per Mæandrum classem in Cariam superiorem subuexit: insuper et qui ceciderunt in bello aduersus Cassandrum, illic sepulti sunt: & Argiui, qui tunc socij fuere. Cum Lacedæmonijs autem societa-

πρὶν ἢ στρατεῦσαι τὸν Μῆδον.

tem sibi

tem sibi hoc pacto conflatam aiunt: Quum urbs adeò terremotu concussa esset, Helotes in Ithonem secesserunt. quocirca Lacedæmonij cum ab alijs, tum ab Atheniensibus ad auxilia impetranda miserunt: qui fortissimũ quemq; eò ire iubent, Cimone Miltiadis filio duce. Sed Lacedæmonij, quoniam illis non fidebant, eos domum redire uoluerunt. Quamobrem Athenienses rati tantam contumeliã non ferendam, in ipso reditu societatem cum Argiuis inierunt, qui omni tempore Lacedæmoniorum hostes erant. Post id tempus cum in Tanagra prælium Atheniensibus aduersus Bœotios Lacedæmoniosq; committendum esset, Argiui Atheniensium subsidio affuerunt: & cũ iam superiores futuri essent Argiui, noctis interuentu uter exercitus uicisset dispici non potuit. Itaq; sequenti die uictoria penes Lacedæmonios fuit, equitũ Thessalorum proditione. Verum hos quoq; recensere constitui: Apollodorum mercenariorum ducem, qui Atheniensis quidem erat, sed ab Aristo Phrygiæ quæ ad Hellespontum adiacet principe, Perinthijs urbem seruauit, cum in eam Philippus exercitũ egisset. hoc loco ipse quoq; situs est. ut & Eubulus Spinthari F. uiri præterea alij quorum fortitudinem secunda fortuna deseruit, hi sunt qui partim in Lacharis tyrannidem conspirarunt, partim ceperunt consilium de Piræeo occupando, qui Lacedæmoniorum pręsidio tenebatur: sed antequam res conficeretur, à conscijs proditi perierunt. Iacent deinceps, qui apud Corinthum occubuerunt. quo loco, & rursus in Leuctris Deus his qui à Græcis fortes dicti sunt, planum fecit, nihil sine fortuna esse: Siquidem Lacedæmonij Corinthiorũ Atheniensiumq; ac deinceps Argiuorum & Bœotiorum uictores, demum à Bœotijs solum

Atheniensium cum Argiuis societas.

Athenienses à Thessalis proditi.

Fortitudo fortunæ expers, nullius momẽti.

tantam cladem acceperunt. Post eos qui ad Corinthū occubuerunt, eandem his qui in Euboia et Chio mortem obierunt columnam positam esse, elegiacum carmen testatur: aliosq́ in extrema terræ Asiæ ora interijsse, alios in Sicilia. Duces quoq; Platæenses ascripti sunt omnes, præter Niciā: et milites, qui unà cum oppidanis Platæensib. fuere. Niciæ nomen hac de causa prætermissū est: ut Philisto assentiar, qui Demosthenem inducias cum omnibus, præterquam cum Nicia fecisse tradit. & illum uoluisse cum caperetur necare: sed Niciam ultro se dedidisse. Hac ratione Nicias columnæ ascriptus non est, quasi damnatus, quod sponte captiuus fuerit, remq́ bellicam dehonestarit. In alia columna leguntur, qui in Thracia res gessere: & qui ad Megara: & quo tempore Arcadas apud Mantineam, Eleosq́, Alcibiades à Lacedæmoniorū societate deduxit: deniq; qui ante Demosthenis in Siciliam aduentum, Syracusanos in potestatem redegerāt. sepulti deinceps sunt, qui ad Hellespontum nauale bellum gesserunt, & omnes qui cum Lacedæmonijs in Chæronea manus conseruere, tum qui Cleonem ducem in Amphipolitanā expeditionem secuti sunt, & qui ad Delium Tanagræorū occubuerunt, quosq́ in Thessaliam Leosthenes duxit, & qui cum Cimone in Cyprum nauigarūt, & * illi triginta tres aut plures, qui unà cum Olympiodoro præsidium eiecerunt.

τριῶν καὶ δύο καὶ ἄνδρες ἢ πλείους

Ad hæc aiunt Athenienses, se auxilia non magna sanè Romanis cum finitimis quibusdam bellum gerentibus misisse, quinq; certè triremes Atticæ in eorum bello nauali aduersus Pœnos affuere. Iccirco ijs quoque uiris eo loco tumulus est. Tolmidæ uerò sociorumq́ res gestas, & quo pacto ceciderunt, suprà exposuimus. Hoc quoq; scire cupientem, non fraudemus:

mus: eos hac in uia humatos esse. Iacent item, qui præclarum illud facinus unà cum Cimone ad Eurymedontem edidere, terrestri naualiq; pugna eodem die uictores. tum Conon, & Timotheus: secundo loco post Miltiadem & Cimonem hi sunt, pater et filius rerum gestarum gloria clarissimi. Hic & Zeno iacet Mnasij F. & Chrysippus Solensis; tum Nicias Nicomedis filius, qui ætate sua animalia diligentiss. pinxit: tum Harmodius & Aristogiton, qui Hipparchum Pisistrati F. interfecerunt: deinde rhetores: Ephialtes, qui in Areopago leges admodum labefactauit: & Lycurgus, Lycophronis F. qui in ærariũ publicum amplius quingentis ac sex milibus quàm Pericles talentis pecuniam intulit: construxitq; * uasa ad sacrorum pompam & uictoriã auream, mundumq; muliebrem centum uirginibus. ad belli uerò usum, arma ac iacula: effecitq;, ut quadringentæ circiter triremes in bello essent nauali. In ædificijs autem theatrum ab alijs inchoatum absoluit ipse, alia dum rempublicam administraret in Pireæo ędificauit; nauale, & gymnasiũ iuxta Lycium. Quæcunq; igitur in his argento auroq; elaborata erant, Lacharis tyrannus omnia depeculatus est. Aedificia uerò, nostra quoque ætate extabant. In Academiæ uestibulo ara est Cupidinis, cum inscriptione, quod Charmus Atheniensium primus Cupidini eam dicarit. Aram uerò quæ in urbe est, & Anterotos, id est mutui amoris appellatur, peregrinorum uotum aiunt. nam Meles Atheniensis Timagoram peregrinum hominem sui amore captum, per contemptum ut se è summo saxi uertice deijceret iussit: quocirca Timagoras, qui uitam iam paruifacere t, cuperetq; in rebus omnibus adolescentis imperio obsequi, inde se præcipitem demisit. cum autem Meles

νικηταῖς ἢ νίκας

Anterotos ara.

Timagoram extinctum uideret, adeò eum facti pœnituit, ut ex eodem saxo ipse quoq; se deiecerit, atq; ita ipse quoq; interierit. ex eo peregrinis institutũ est, ut dæmonem Anterota Timagoræ ultorem appellarẽt.

Promethei ara. Iam uerò in Academia est Promethei ara, à qua ad urbem cum accensis facibus currunt. certamen autem in eo positum est, in cursu tædam seruare accensam, qua si primo extinguatur, uictoria ad secundũ transfertur: si secundo quoq; extinguitur, tertius est uictor:

Cursores λαμπαδηφόροι. si uerò omnibus, nulli uictoria relinquitur. Inest quoque Musarum ara, & altera Mercurij: pauloq; interius Mineruæ, quam Herculi consecrarunt: & oleæ planta, quam secundam extitisse referunt.

Platonis statua. Non procul ab Academia Platonis extat monumentum, cui deus portendit philosophiæ præstantiam, atq; id sanè eundem in modum diuinauit etiam Socrates, cum superiore nocte quàm Plato sibi futurus erat discipulus, cygnũ in sinum sibi aduolasse per somnium uidit. Musicæ autem palma cycno tribuitur: nam ultra Eridanum in Gallia, Cycnum uirum musicæ peritum,

Cycni metamorphosis. Ligurum regem fuisse, ac post obitum uoluntate Apollinis in cycnum auem conuersum narrant. Ego uerò in Ligurib. Cycnum regnasse non negauerim: sed indignum fide arbitror, quod auis ex homine factus sit.

Timon. Hac regionis parte apparet Timonis turris, qui solus nouit nullo pacto fieri posse ut quispiam beatus sit, nisi aliorum hominum consuetudinem declinauerit.

Colonus equester. Ostenditur etiã agger, qui Colonus equester dicitur, in quem primum Atticæ locum Oedipodem uenisse aiunt: quod cum Homeri carmine non congruit. Affirmant igitur, aram esse Neptuni equestris, & equestris Mineruæ. Heroum item Pirithoi ac Thesei, Oedipodis & Adrasti. Lucum quidem Neptuni,

unà cum templo exussit Antigonus, qui magna manu eum inuasit, agrumque Atticum admodum uastauit. Populi Atticæ tenuiores, passim ac temerè loca domicilijs sortiti sunt. at in ijs hæc memoratu digna sunt: Alemusij Cereris legiferæ ac Proserpinæ ad Zosterem iuxta mare templum habent, tum Mineruæ aram, item Apollinis, Dianæ, & Latonæ: quam ibi nō filios peperisse aiunt, sed tanquam parituram soluisse zonam, atque inde nomen loco mansisse. Prospaltij quoque Proserpinæ Cererisque ædem, Anagyrasij matris deorum, Cephalenses Castorem et Pollucem præcipuo honore uenerantur: eos enim magnos deos appellāt. Apud Prasienses est Apollinis delubrum. huc peruenire aiunt Hyperboreorum primitias aris: siquidem Hyperboreos Arimaspis tradere, tum Arimaspos Essadonibus, ab his Scythas Sinopen deferre, inde à Græcis ad Prasias transuehi: demum esse Athenienses, qui eas Delum comportent: eas tamen esse obtectas tritici palea, nec à quoquam cognosci. Prasijs Erysichthonis est monumentum: qui post celebratam sacrorum pompam, cum domum ex Delo rediret, in nauigatione mortuus est. Quis autem Cranaum Athenarum regem Amphyction, quanuis sibi gener esset, eiecerit, suprà exposuimus. Hunc aiūt cum fugeret, unà cum militibus ad populum Lamprensem peruenisse, ibique mortuum & humatum. ac mea etiam ætate apud Lamprenses Cranai extat monumentum. Iouis quoque Xuthi F. apud Potamos tumulus est: hic enim apud Athenienses* tumulum habuit, in belloque aduersus Eleusinios Atheniensis exercitus fuit imperator. Phlienses autem ac Myrrhinusij habent aras Apollinis* ductoris Bacchi, & Dianæ luciferæ:

Atticæ diuersi populi.
Alemusij.
Zoster.
Prospaltij.
Anagyrasij.
Cephalenses.
Prasienses.
Lamprenses.
*ἴωνα
*Διονυσοδότου

feræ; Bacchi etiam floridi; & nympharũ Ismenidũ, ac Telluris, quam magnã deam nuncupant. Altero autẽ templo aræ continẽtur Cereris *frugiferæ, Iouis opulenti, et almę Palladis, et Proserpinæ primogenitæ, ac dearũ quæ uenustæ appellantur. Ad Myrrhinuntem est simulachrum Colænidis. Athmonenses Dianam Amarusiam colunt. Horum causam cum perquirerem, nihil apud interpretes certi comperire potui. Ego uerò ita coniectura colligo, Amarynthus in Euboia est, ubi hanc Amarusiam colunt: nec minore pompa quàm Euboenses, eundem diem Athenienses celebrant. unde apud Athmonenses hoc nomen extitisse arbitror: & Colænida, quæ est in Myrrhinunte, à Colæno nomen accepisse. nam (ut ante diximus) multi * qui in populis degũt, se ante Cecropem ex hoc tempore regem habuisse referunt. Colænus nomen uiri est, qui ante Cecropis regnum (ut Myrrhinusĳ affirmant) rerum potitus est. Acharnæ præterea populus, Apollinem Agyiæum uenerantur, & Herculem, aramque habent Mineruæ sospitæ: Palladem item nuncupant equestrem, & Bacchum canentem, atque hederæum: nam hederam ibi primum uisam fuisse contendunt. Atticæ primum montem habent Pentelicũ, in quo sunt lapidicinæ: hinc Parnes, aprorũ ursorũque uenationibus aptus: Hymettus, qui apibus alendis pabula optima gignit, * & ea Alaponum plantis referta. nam Alazosi unà cum hominibus in pascua excuntibus, apes sacræ sunt: quæ in aluearia se non condunt, sed passim in omni regionis parte mellificant: et opus unicum his cooritur, seorsum nec fauum nec mel legere queas. hæc ita sunt. Montes uerò ipsi quoque deorum simulachra habent: Pentelenses Mineruæ, in Hymetto Iouis Hymettĳ. Aræ insuper Iouis pluuĳ,

ἀνησιδώρας

Athmonenses.

Amarynthus.

ἐν τοῖς δήμοις

Colænus.

Acharnæ.

Atticæ montes.

πλὴν τῶν ἀλαζόνων

pluuij, & Apollinis præſagi. In Parnethe eſt Iupiter Parnethius æneus, araq; Iouis Semalei. Eodem in monte eſt alia quoq; ara, in qua imolant, modò pluuium, modò * innoxium Iouem inuocantes. deinceps Anchesmus mons non magnus, Iouisq; Anchesmij ſtatua. Antequam uerò ad inſularum hiſtorias deſcendo, quæ ad populos pertinent, rurſus attingenda ſunt. Marathon populus pari interuallo ab Athenis & Caryſto Euboica diſtat. Ab hac parte Barbari Atticam occuparunt: qui prælio ſuperati, cum reuertentur, nõnullarum nauium naufragium fecerunt. In campo Athenienſium tumulus eſt: ſupra quem columnæ, quibus mortuorum nomina per ſingulas tribus continentur: & alter Platæenſibus Bœotiorum, ac etiam ſeruis: nam tunc primum ſerui in militiam aſcripti fuerunt. Seorſum tumulus Miltiadis Cimonis F. qui demum mortuus eſt, cum prius Paron non tenuiſſet, atq; eo nomine ueniſſet in iudicium. Ibi per ſingulas noctes equorũ hinnitus uirorumq; pugnas audire licet: ſed nemo de induſtria adhuc ſpectare uoluit, cui id fuerit utile. Si uerò quiſpiã nec de induſtria audiat, aut cũ alioqui cõtigerit audire diſſimulet, nihil huic dæmonũ ira incõmodi accidit. Omnes autem eos qui iſthic in acie occubuerũt, Marathonij uenerãtur, appellantq; heroas: tum etiã Marathonẽ ipſum, à quo nomen pago inditum: & Herculem, eum ſe ante alios Græcos inter deos retuliſſe dictitantes. Commemorant etiam uirum quendam in pugna affuiſſe, ore & armaturæ genere ruſtico ſimilem, is multis Barbaris aratro interfectis, amplius cerni non potuit. Sed conſulentibus Athenienſibus, nihil aliud reſpondit oraculũ, niſi ut Echetlæum heroem colerent. Erectũ uerò eſt etiam trophæum, marmore candido, Atheni-

ἀπήμονα

Marathon.

Echetlæus.

enses quidem aiunt se Medos sepelisse: quando impium est, hominem mortuum terra non condere. Sed tumulum ego nullũ reperire potui, ac neq; aggerem, nec aliud ullum signum ibi uideas, nimirum illos in foueam elatos temere congerebant. Macaria item in Marathone fons est, de quo hæc narrantur. Herculẽ, cum ex Tirynthe Eurystheum fugeret, ad Ceycum Trachiniorum regem se contulisse, defuncto autem uita Hercule, cum eius liberos Eurystheus perquireret, eos Ceycus Athenas misit: quod se Eurystheo opibus imparem esse, Theseum autem facile illi resistere posse diceret. Cum Athenas peruenissent pueri, opem implorantes, tunc primũ Peloponnesij bellum Atheniensibus indixere: quoniã repetenti Eurystheo Herculis filios Theseus non reddiderat. Interea oraculum Atheniensibus editum aiunt, unum ex Herculis pueris se deuouere uolentem oportere, quando aliter Athenienses uincere non possent. Tunc Macaria Deianiræ Herculisq; filia se iugulauit, peperitq; & Atheniensibus in bello uictoriam, & * loco nomen. Lacus præterea in Marathone est, admodũ paludosus: in quem uiarum ignoratione Barbari inciderunt, atque ita eorum magna cædes ibi edita est. Supra lacum marmorea præsepia equorum Artaphernis uisuntur, tentorijq; in saxis uestigia. Manat autem e lacu fluuius, qui loco proximo aquam iumentis opportunã suppeditat: sed ubi in pelagus erumpit, iam salsus fit, & marinis piscibus refertus. Paulo post campum Panos mons surgit: & antrum insigne, cuius os angustũ est, sed ubi penetraueris, domus occurrunt, balneaq;, & quod Panos ouile nuncupant: præterea rupes capris admodum similes. A Marathone parum distat Brauron, ubi Iphigeniam Agamemnonis filiã cum ex Tau-

Macaria fons.

* τῇ πηγῇ

Panos mons.

ex Taurica fugiens Dianæ simulachrum secum deferret, descendisse aiunt: atq; eo loco simulachro relicto, Athenas, deinde Argos peruenisse. deæ quidem statua peruetus illic est: qui autem allatam ex Barbaris mea quidem sententia nunc habeant, alia historiæ parte explicabimus. A Marathone stad. LX. littorali uia ad Oropum euntibus, Rhamnus decurrit: domicilia incolarum ad mare posita sunt. Paulo inter continentem, Nemesis phanū est, quæ supra cæteros deos aduersus superbos inexorabilis est: ut Barbaris quoque, qui in Marathonia uenerunt, huius anus ira multum obstitisse uideatur. nam Athenarum opes aduersus se contemnentes, iam tunc marmor parium acceperant, quod ad trophæum erigendum uehebant. id marmor Phidias exciderat, in deæ statuam. eius corona capiti apposita est, qua & cerui, &*fortunæ parua insignia continentur. in manuum altera ramus fraxineus: in dextra phiala, in qua Aethiopes efficti: cuius rei causam neq; ego coniectura per me assequi potui, neq; eorum opinio qui se id scire putant mihi probabilis uisa est. aiunt enim, Aethiopas in phiala insculptos fuisse, propter Oceanum fluuium, ad quem Aethiopes habitent. Nemesim uerò Oceani filiam esse. atqui Oceanum non fluuiū, sed mare, quod extremū nauigatur, accolunt Hispani & Galli. & in eo Britannia insula continetur: & inter homines qui supra Syenem sunt ad mare, postremi Ichthyophagi mare rubrum accolunt, atq; ea pars sinus Ichthyophagorū appellatur. Qui uerò inter eos humanius degunt, Meroen incolunt urbem: et campum, quem Aethiopicum uocant. Hi sunt, apud quos Solis mensa ostenditur: sed nec mare habent, nec alium fluuium quàm Nilū. Alij præterea Aethiopes sunt Mauris finitimi, qui ad

Diana Taurica.

Nemesis.

νίκης ἀγάλματα

Aethiopum Oceanus.

Nasamonas usque protenduntur. Nasamones enim quos Herodotus Atlantes putauit, terræ dimensionē se tenere profitentur: Loxitasque appellant, qui Pœnorum extrema loca iuxta Atlantem montem incolunt, hi nihil serunt, sed agrestibus uuis uictitant. Neque in his Aethiopibus, neque in Nasamonibus fluuius ullus est, nam aqua, quæ iuxta Atlantem est, in tris fluxus deriuatur, quorum nullus flumen efficit, sed statim omnem harena absorbet: quocirca nec fluuium aliquem, nec Oceanum Aethiopes accolunt. Aqua autem quæ ex Atlante manat, in ipso etiam fonte turbida est: ubi crocodili cubitis haud minores apparent, sed ad hominū accessu in fontem statim mergūtur: ut multis argumentum præbeat aqua isthæc, quòd ex harenis alibi scaturiens, Nilum fluuium Aegypto faciat. Atlas ipse in tantam altitudinem exurgit, ut uertice tangere cœlum dicatur: inaccessus tamen, propter aquas, et excrescentes passim in eo arbores. Eius pars quæ ad Nasamonas uergit, cognitioni patet: quæ uerò pelagus respicit, nemo adhuc quem sciamus in eam adnauigauit. Sed de his iam satis. Neque uerò hoc Nemesis simulachrum, neque aliquod aliud antiquum alas habet: sed postea scio apud Smyrnæos simulachra alata fuisse: & ipsi quoque Nemesi alas additas, ueluti Cupidini, quia huius Deæ numen in his potissimum apparere autumant, qui amore capi uolunt. Nunc quę in huius simulachri basi sunt, exponemus: si antea illud proposuero. Græcorum opinio est, Nemesin Helenæ matrem esse, Lædam uerò lac præbuisse, atque educasse: Helenæ autem patrem tam hi quàm alij omnes, non Tyndarum, sed Iouem esse, putant. Hæc quoniam Phidiæ incognita non erant, Lædam effinxit ducentem Helenam ad Nemesin. addidit uerò

Nasamones Loxitæ. *Atlas.* *Simulachra alata.* *Helena.*

dit uerò & Tyndarum, & liberos: uirum præterea equo insidentem, quem Hippea, id est equitem appellant. Sunt autem, Agamemnon, Menelaus, ac Pyrrhus Achillis F. qui primus Hermionem Helenæ filiam uxorem duxit (Orestes uerò ob scelus in matrem prætermissus est) cui Hermione tota uita uxor mansit, ac filium peperit. Deinceps in reliqua basi is est, quem Epochum nuncupant: & alter, nomine Neanias. De his nihil præterea audiui, nisi Oenones fratres esse, à qua populus nomen duxit. Agrum autem Oropium, qui inter Atticos & Tanagræos fines interiacet, cum olim ad Bœotios pertineret, ætate nostra Athenienses possident, multis pro eo bellis gestis: non tamen antè adepti sunt, quàm Philippus Thebis captis eum ipsis dedit. Oropus ergò urbs ad mare sita est, nihil præbens historia dignum. Amphiarai sacellum ab urbe duodecim amplius stad. distat, ubi Amphiaraum Thebis fugientẽ terræ hiatu unà cum curru absorptum fuisse aiunt. Nonnulli id eo loco accidisse negant: sed in itinere ad Chalcidem locus est, quem currũ uocant. Amphiarao primi Oropij diuinos honores instituere, quam religionẽ reliqua Græcia sequuta est. Alios quoque recensere possum, qui cum olim homines essent, apud Græcos tandem pro dijs habiti sunt, quibusdam uerò etiam urbes dicatæ: ut Eleus in Cherroneso, Protesilao: Lebadia Bœotiorum, Trophonio: & apud Oropios ædes Amphiarao, & statua eidem marmore candido posita est. Ara quinque partes habet: unam Herculi, Ioui, & Apollini Pæoni sacram: alteram heroibus, ac heroum uxoribus: tertiam Vestæ, Mercurio, Amphiarao, Amphilochique liberis (Sanè Alcmæon ob scelus in ✱ matrem, neque cum Amphiarao, neque cum Amphilocho ullos

Oropus.

Amphiaraus.

Alcmeon.

k 3 honores

honores est cosequutus.) quarta aræ pars est Veneris, & Panaceæ, item Iasij, Hygiæ, & Mineruæ Pæoniæ: quinta, Nympharum & Panos, amniumq; Acheloi & Cephisi. Amphilocho uerò apud Athenienses quoq; ara in urbe erecta est: & eiusdem in Mallo Ciliciæ oraculum, quod ueritate reliqua omnia ætate mea excelluit. In Oropijs fons iuxta templũ, Amphiarai cognominatur: ad quem nihil sacrificari mos est, neq; purgari, nec ablui. sed qui accepto oraculo morbo leuatus est, hunc religio iubet argentum & aurum signatum in fontem demittere: nam hoc affirmant, Amphiaraum iam deificatum huc emersisse. Iophon Cnosius Amphiaraum inter eos locat, qui edita oracula heroicis uersibus interpretarentur. ait enim, illũ Thebas euntibus Argiuis hos uersus cecinisse.

Amphilochi ara.

Amphiarai fons.

Desunt uersus illi etiam in Græco.

* ... Nimirum quod uulgo placet, intemperanter defenditur, nam præter eos qui Apollinis furore olim correpti dicuntur, nemo inter uates oracula edidit: sed præstabant uel somniorum interpretatione, uel augurali scientia, uel aruspicina. ut facile existimem, Amphiaraum interpretandorum somniorum laude excelluisse. quod uel ex eo liquet, quoniam quo tempore deificatus est, futurorum cognitionem per somnia constituit. Ad huius oraculum quicunq; accedit, purgari primum oportet. purgatio est, ut deo res sacra peragatur: cui quidem & omnib. quorum nomina in ara sculpta sunt, sacrificant. His peractis mactati arietis pellem substernunt, atq; ita dormiunt, somnij significationem expectantes. Atheniensium insulæ non procul eorum agro sunt: una quidem, quæ Patrocli dicitur; de qua quæ scribenda fuerunt, iam exposuimus. altera uero supra Sunium, ad læuam in Atticam nauigantibus; in qua post Ilij excidium Helenam de-

Amphiarai μαντεῖον

Atticæ insulæ.

nam de-

nam descendisse fama est, unde insula quoque Helena uocatur. Salamis autem, quę contra Eleusinem iacet, ad Megaricos usque fines porrigitur: insulæ nomen à Salamine Asopi matre inditum, Aeginetæ Telamonis socij eam postea incoluerunt. sed Philæus Eurysaci F. qui Aiacis erat, in ditionem Atheniensium redactus, eis insulam tradidit. Salaminas autem Athenienses multis pòst annis euerterũt, quod clandestina quędam machinatos deprehendissent in bello aduersus Cassandrum, in quo ciuitas Macedonibus potius fauerat: Ascetadem insuper morte condemnarunt, qui eo tempore ad Salaminem dux electus fuerat: addito etiam iureiurando, se omni tempore proditionem Salaminijs exprobraturos. Apparent adhuc fori uestigia, & Aiacis templum, eiusdemque ex ebeno statua. Sed et apud Athenienses quoque Aiaci ad hoc usque tempus instituti honores permanent: & Eurysaci, cuius ara Athenis est. Visitur in Salamine lapis, non procul à portu, & in eo Telamonem sedentem aiunt oculis prosequi nauem, ac filios suos soluentes, ut ad communem Græcorum nauigent classem in Aulidem. Qui Salaminem incolunt, Aiace mortuo tunc primum apud se florem enatũ aiunt: is candidus est, leuiter rubens, lilio cum flore ipso tum folijs minor: et in eo literæ, ut in hyacinthis. audiuique Aeolenses, qui Ilium postea incoluerunt, de armorum iudicio dicere solitos, qui facto ab Vlysse naufragio, contra Aiacis tumulum arma delata fuisse referunt. De illius corporis magnitudine Mysus quidam ita mihi referebat. aiebat enim, mare ad eam tumuli partem quæ littus respicit inundasse, aditumque ad monumentum parasse non difficilem: cadaueris uerò magnitudinem uel ex hoc me aduertere iubebat, quod ipse pedis illius talo pro disco

Aiacis flos.

Veterũ corporum magnitudo.

pro disco uteretur, ac præcipuè genuum ossibus, quæ medici molas uocant. Equidem eorũ Gallorum qui ultimi locis frigore desertis finitimi sunt, & Cares dicuntur, proceritatem non inspexi, non enim * minus suorum custodiũt cadauera, quàm Aegyptij: sed quæ alibi memoratu digna mihi spectare contigit, exponemus. Protophanes ciuis Magnesius, ex his qui * ad Lecheum accolunt, eodem die in Olympia Pancratij & luctæ præmia reportauit. huius tumulum piratæ, aliquid lucri ibi fore putantes, aliquando accessere, & cum piratis alij quoq; subingressi sunt, ut cadauer spectarent, in quo non erant diuisæ costæ, sed solidũ quicquid ab humeris ad minores usq; costas (quas medici nothas uocant) descendit. Milesij quoq; ante urbem, Ladem insulam habent: à qua duæ paruæ insulæ diuisæ sunt, quarum alteram Asterij nuncupant, quod in ea Asterium sepultum esse affirmant, quem Anactis, qui ex Terra natus sit, filium autumant. cadauer illud nihilo decem cubitis minus est. quod autem maximè miratus sum, Lydiæ superioris oppidũ est, quod Temeni portę appellatur: ubi ui hyemis tumulo quodam hiscente ossa extiterunt, ea specie ut humana crederentur: nam propter magnitudinem * nihil certi apparebat qualia essent. statim itaq; rumor increbuit, ossa esse Geryonis Chrysaoris F. & eiusdem esse solium, quod ibi est repertum, elaboratum rupe quadam montana * addebant, quosdã cum ararent, boum cornua adinuenisse: nam Geryonem boum armenta bene pauisse fama est. Ego his non assentiens, Geryonẽ Gadibus esse demonstrabam: nec ibi monumentum, sed uarias ostendi arborum formas. Quo loco Lydorum interpretes uerum fatebantur, quod Hylli cadauer esset, qui Terræ filius fuerit, à quo fluuius nomen acceperit.

παρὸν ἰδόντι διαφέρειν ἔχειν αἰγυπτίων

ἐπὶ λεχαίῳ

Asterius.

ἐπίστευσαν ἀριδόξιν

Hic in Græco inscritur καὶ χείμαῤῥουν ποταμὸν, ὠκεανὸν ἐκάλουν

accepérit: atq; Herculem in monumentum ueteris cũ Omphale hospitij, Hyllum filium à fluuij illius nomine appellasse. In Salamine uerò, ut ad institutam historiam reuertamur, ad alteram partem Dianæ templum est, ad alteram trophæum uictoriæ, quam Themistocles Neoclis F. Græcis peperit. Est & Cychrei ædes, nam cum Athenienses bello nauali aduersus Medos decernerent, aiunt in nauibus draconem subitò uisum: quem oraculum Atheniensibus respondit, Cychreum esse heroëm. Insula ante Salaminem iacet, quam Psyttaliã uocitant, in quam quadringentos circiter Barbaros descendisse referunt, & eos quoq; Xerxe superato, eò Græcis transeuntibus, perijsse. Simulachrum in insula nullum est, arte quidem expolitum: Panos autẽ uulgares, & quales alibi imagines. In uia quæ ab Athenis Eleusinem ducit, & sacra ab Atheniensibus appellatur, Anthemocriti extat monumentum. Hic est locus, ubi Megarenses piaculũ illud commiserunt, cum Anthemocritum, qui ad denunciandum uenerat, ne ultrà eos fines colerent, necarunt: cũius sceleris causa* deorũ ira in eos adhuc permanet. Nam neq; Hadrianus imperator, eos duntaxat ex Græcis omnibus, ulla ex parte iuuit, ut eorum fines augerentur. Post Anthemocriti columnam, Molossi est tumulus, qui aliquando Atheniensium imperator electus est, cum ad ferendas Plutarcho suppetias in Eubœam transierunt. Campus quoq; Scironius ex hoc nomen est sortitus: cum Eleusinij aduersus Erechtheum bellum gererent, uates quidam nomine Scirus ex Dodone ad eos uenit, à quo Palladis Sciradis uetus templum in Phalero conditum est. hunc in bello interfectum, Eleusinij iuxta fluuium torrentem sepeliuerunt: atq; ita ab hoc heroë & campo & fluuio

Hyllus.

Cychreus.

*τῶν θεῶν

Molossus.

Sciron.

Cephisodorus. nomen relictum est, Iuxtà est Cephisodori monumẽtum, qui populi præfectus erat, ac Philippo Demetrij F. Macedonum regi in primis infestus: quiq; ut reges Attalus Mysiæ et Ptolemeus Aegypti, nationes præterea liberi iuris Aetoli, ac insulares Rhodij atque Cretenses cum Atheniensibus societatem inirent, autor fuit. Sed cum ex Aegypto & Mysia, atq; à Cretensibus auxilia serius mitterentur, Rhodijq; qui nauali tantum robore ualebant, aduersus instructã Macedonum aciem parum momenti afferrent, Cephisodorus unà cum alijs Atheniensibus in Italiam nauigauit, Romanorumq; arma aduersus Macedonas implorauit. Quo tempore Romani eum imperatorem & copias misere, qui Philippi Macedonumq; opes adeò attriuit, ut postea Perseum quoq; Philippi filium regno expulerint, duxerintq; in Italiam captiuum. Philippus Demetrij F. Hic ergo fuit Philippus Demetrij filius, nam ex hac familia primus Demetrius, interfecto Alexandro Cassandri filio, Macedonum rebus potitus est: ut à nobis suprà narratum est. Post Cephisodori tumulum iacet Heliodorus Halis, cuius pictura in magno Mineruæ templo spectatur: iacet Themistocles ibidem, Poliarchi F. tertius à Themistocle illo qui aduersus Xerxem & Persas nauali pugna decertauit. Alios huius Acestium. familiæ posteros, præter Acestium, silentio pręteribo. Acestium uerò Xenoclis, qui ex Sophocle Leontis filio prognatus est, filia fuit. Huic ad Leontẽ usq; ata δᾳδῦχοι uum, omnes gentiles * Cereris ministros quassantes facem, dum uiueret, uidere contigit. nam primum in eo uidit Sophoclem fratrem, dein Themistoclem coniugem, atq; eo mortuo Theophrastum filium: atque hæc illius fortuna commemoratur. Vbi paulum processeris, Laciæ herois lucus occurrit, & populus

quem

quem ab eo Lacidas nuncupant. Deinceps Nicoclis Tarentini monumentum, qui summã inter citharœdos gloriam adeptus est, tum Cephyri ara, & Cereris templũ ac filiæ, & cum his Minerua ac Neptunus cõmunia sacra habent, in eodem campo fama est, Phytalum Cererem hospitio suscepisse: deamq; ut gratiam referret, plantam ficulnam dedisse: cuius rei testem habeo inscriptionem, quæ in Phytali tumulo legitur: *Nicocles citharœdus.* *Phytalus.*

ἔνθα δ' ἄναξ ἥρως φύταλος ποτὲ δέξατο σεμνὴν
δήμητραν, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν,
ἣν ἱερὰν συκῆν, θνητῶν γένος ἐξονομάζει,
ἐξ οὗ δὴ τιμὰς φυτάλου γένος ἔσχεν ἀγήρως.

Hoc est,

Hic situs est heros, Cererem qui in tecta recepit,
Phytalus, huic primũ quondam dea dulcia poma
Monstrauit, ficos nomen dixere priores,
Phytalus æternos inde est sortitus honores.

Antequam Cephisum transeas, Theodori est monumentum, qui inter sui temporis tragœdos floruit. simulachrũ uerò ad fluuium est Mnesimaches, & alterũ, puer qui comam sibi in Cephiso flumine totondit: quod antiqua consuetudine in more Græcis omnibus positum fuisse, ex Homeri carmine coniectare licet, qui Peleum introducit uota Sperchio fluuio suscipientem, si Achillis filius ex Troia incolumis sibi redierit, se illi comam detonsurum. Simulac Cephisum traieceris, uetus ara est Iouis * iucundi, ad quam Theseus à Phytali nepotibus lustratus est, ob cædem quã de latronibus & alijs patrauerat, ac Sini, qui Pithei cognationis affinis erat. Ibi etiam Theodecti Phaselitæ tumulus, & Mnesithei, quem medicinæ scientia excelluisse, simulachraq; dicasse, in quibus & Iacchus effictus est, aiunt. In uia ædes non magna structa est, quam Cyamitæ, hoc est Fabarij appellant. Equidem *Homeri locus.* *μαλιχίου*

 non ha-

non habeo quod pro comperto affirmare ualeam;
an hic primus fabarum fationem docuerit: an ita potius heroëm aliquem ornauerint. nam fabarũ inuen-
Fabarũ inuentio. tionem ad Cererem referre nequeunt. Qua in re qui sacra Eleusinia uidit, aut quæ Orphica uocant, me haud mentiri nouit. Monumentorum uerò omnium maxima præstantissimaq; sunt: alterũ, cuiusdam Rhodij, qui Athenas migrauit: alterum, quod Harpalus
Harpalus. Macedo construxit, qui cũ ab Alexandro ex Asia fugisset, nauib. in Europã traiecit: et cum ad Athenienses peruenisset, ab illis captus est. sed cum alijs, tum Alexandri amicis pecunia corruptis, euasit. antea tamẽ
Pythionice. Pythionicem uxorem duxerat, quæ unde genus duceret, mihi incertum est: Athenis certè, & Corinthi, corporis quęstum fecerat, hanc adeò amauit, ut mortuæ quoq; monumentum erexerit, omnium quæ uetusta in Græcia sunt maximè mirandum. Templum ibi est, in quo Cereris filiæq; simulachra cernuntur, & Palladis, & Apollinis, cui soli olim simulachrum po-
Cephalus. situm fuit. aiunt enim Cephalũ Deionei F. unà cum Amphitryone ad Teleboas insulam incolendam uenisse, quæ nunc ab illo Cephalenia dicitur: interea e-
πρόκριδος undem Athenis Thebas migrasse, reum de * Procridis uxoris cæde. decemq; post sæculis Chalcinus & Dætus (ut hominum opinio est) Cephali nepotes, Delphos profecti, deum consuluerunt, quó nam pacto Athenas redire possent: iussit autem oraculum, ut prius Apollini in ea Atticæ parte sacrificarent, ubi tri
ἕρπουσαν remem humi * labentem uidissent. & cum ad Pœcilũ
ποικίλος mons. montem aduenissent, draco his apparuit repentè ad speluncam cursitans: quo loco Apollini sacrificarũt. deinde ab Atheniensibus, cum in urbẽ peruenissent, ciuitate donati fuerunt. Deinceps Veneris ædes est:

& ante eam paries, rudibus lapidibus insignis. Rhiti autem qui appellantur, fluminum tantum fluxũ prębent. nam aqua in his perinde est ac mare: ut uerisimile cuipiam sit, quod à Chalcideone Euripi, ex terra labentes, in sinuosum mare prorumpunt. Dicuntur autem Rhiti, Cereris & Proserpinæ sacri esse: ac pisces, qui in his nascuntur, sacerdotibus tantũ capere licet. Hi erant (ut ego quidem sentio) fines qui inter Athenienses & Eleusinos dirimebant. Post hos primus habitauit Crocon, ubi nunc quoq; Croconis regia dicitur. hunc Athenienses aiunt, cum Bæsara Celei filia concubuisse: cui tamen opinioni non assentiuntur omnes, sed tantum qui ex Scambonide populo sunt. Equidem Croconis tumulũ reperire non potui. Sed Eumolpi monumentum non secus Eleusinij ostendunt, quàm Athenienses. hunc Eumolpum Neptuni & Chiones filium, ex Thracia uenisse aiunt: Chionem autem Boreæ uenti & Orithyiæ filiam. Homerus sanè Eumolpum fortem carmine suo appellat: de illius autem genere præterea nihil. In pugna olim inter Athenienses et Eleusinios, interijt Erechtheus Atheniensium rex, et Immaradus Eumolpi filius: quod bellum inter eos fœderis conditionibus hisce depositum est, ut Eleusinij in cæteris rebus Atheniensibus parerent, sed ipsi seorsum * iter sacrum facerent: Cereris uerò et Proserpinæ sacra peragerent Eumolpus & Celei filiæ, quas Pamphus & Homerus Diogeneam & Pammeropem, ac tertiam * Bæsaram nuncupant, Eumolpo superstes fuit Ceryx filius, inter fratres iunior: hunc Ceryces ipsi, non Eumolpo, sed Cecropis filiæ Aglauro & Mercurio filium tribuunt. Extat etiã Hippothoontis heroum, à cuius nomine tribũ quoque appellant: & paulo pòst Zarecis, quem ab Apol-

ῥειτοὶ

Crocon.

Eumolpus.

τιλᾶν

τῶν τιλιτῶν

σαισάραν

Ceryx.

Zarex.

line canendi arte eruditum fuisse aiunt. Ego uerò peregrinum hominem esse arbitror, ac sanè Lacedæmonium: & ex huius appellatione Zaracam Laconiæ oppidum maritimum nuncupari. Quod si Athenienses Zarecem aliquem heroa popularem habent, de eo nihil habeo quod referam. Iuxta Eleusinem Cephisus maiore impetu allabitur, alueumq; superiore ampliorem reddit. in proximo* Oleastrum appellāt, qua Plutonem rapta Proserpina ad inferos descendisse fama est. Iuxta hunc Cephisum Theseus in Polypemona latronem, qui Procrustes cognominatus est, interfecit. Triptolemi item delubrum Eleusinij habent, Dianæq; Propyleæ, & Neptuni patris, & quem Callichorum puteum uocant, ubi primum Eleusinæ mulieres chorum instituerunt, cecineruntq; deæ laudes. In campo nomine Rhario, semina primum iacta fuisse credunt, atq; ibi primas fruges prouenisse, unde institutum suscepere, ut ex ordeo ibi nato confecta mola ad sacra uterentur. Ibidem area, quæ Triptolemi dicitur, & ara ostenditur. Quæ uerò intra parietē sacrum continentur, somnio prohibitus sum ne scriberem. nam & prophanorum oculis quoquo modo submouentur, ita ne auditu quidem alicui patent. Eleusinem uerò heroëm, unde urbi nomen est, alij Mercurio & Daëra Oceani filia natum putant: alij Ogygem patrem finxerunt. nam Eleusinij quoniam antiquissimi sunt, quasi ipsi nullis seculis comprӕhendātur, cum alijs commentis argumentum præbuerunt, tum de heroum genere. Vbi ab Eleusine Bœotiam uersus proficisceris, *Platæenses Athenarum finibus coniunguntur, qui olim Eleutherensium & Athenarum fines dirimebant. Sed posteaquam ipsi in Atheniensiū fines additi fuere, Citheron iam Bœotiæ terminus

Margin notes: ἐρινεὸν, caprificum — Procrustes latro. — Rharius campus. — Eleusin. — ἐπλαταιεῖς

minus

minus esse cœpit. Additi autem sunt Eleutherenses Atheniensibus, non ulla ui belli coacti, sed reipublicę administrandæ studio ex Atheniensium disciplina, Thebanorumq́ odio. In hoc campo * tumulus est Bacchi, uetusq́ dei simulachrum hinc ad Athenienses translatum est, quod autem ætate nostra Eleutheris extat, illius imitatione factum est. Paulo pôst antrum non sanè magnum, quod frigidis aquis fons alluit. De antro illud uulgatur, quod Antiope cum peperisset, infantes in eo deposuerit. De fonte uerò, quod pastor eos infantes ibi repertos abluerit, soluerítq; * uinculis. Eleutherarum adhuc murus extat, & domorum uestigia, ex quibus planè intelliges, urbem paulo supra campum ad Citheronem conditam fuisse. Altera ex Eleusinis uia Megara ducit; quà uadentibus, puteus, quem floridum dicunt, occurrit. Pamphus autem Cererem hoc in puteo post filiæ raptum * cecidisse cecinit, anili specie: atq; ex eo loco, tanquā mulierem Argiuam, à Celei filiabus ad matrem per ductam esse, eoq; pacto Meganiram ei filium alendū credidisse. paulo post puteum Meganiræ templū est, et deinceps tumuli eorum qui ad Thebas periere. Creon enim, qui tunc Thebis imperabat (nam Laodamantis Eteoclis F. tutor erat) non permisit ut mortuorum necessarij cadauera sepelienda auferrent. qua in re quum Adrastus Thesei opem implorasset, commissa ab Atheniensibus cum Bœotijs pugna, Theseus uictor delata in Eleusinam cadauera humauit, contrà Thebani, ut cadauera ad sepulturam caperentur, se sponte dedisse contendunt: pugnam commissam negant. Post Argiuos tumulos, Alopes monumentū sequitur: quam quoniam Hippothoontas ex Neptuno peperisset, Cercyon pater hoc loco interfecisse dicitur,

ναὸς
τ σπαργάνων
Eleutheræ.
καθίσαι, consedisse.
Meganira.
Alope Cercyonis.

dicitur. Cercyon autem alioqui in hospites impius fuit, etiam in eos qui palæstra secum contendere nollent: quocirca ætate etiam mea Cercyonis palæstra dicebatur, parum quidem distans ab Alopes monumento. Porrò omnes qui secũ in luctæ certamen descenderunt, perdidit, Theseo excepto, qui eum peritia potius quàm robore superauit. nam luctandi artẽ Theseus primus inuenit: atq; ex eo tempore palæstræ disciplina celebrata est, cum prius magnitudine tantum & robore ad id certamen uterentur. Hæc sunt, ut ego quidem sentio, quæ in Atheniensium tam sermone quàm spectaculis omni uacant controuersia. Delegimus autem ex omni rerum multitudine ea tantum, quæ historia digna uidebantur. Eleusini finitima est Megaris, quæ & ipsa olim Atheniensium iuris erat, Pyla regnante, quem Pandion rex reliquerat: cuius rei testimoniũ est Pandionis monumentũ, in his finibus: & Nisus, qui cum Aegeo fratrum omnium natu maximo Athenarum imperium reliquisset, ipse regnum Megarense agrumq́; omnem Corinthum usque sortitus est. inde Nisea adhuc, * Atheniensiũ nauale, ex illo appellatur. Regnante deinceps Codro, Peloponnesij arma Atheniensibus intulerunt: nullaq; re præterea præclarè gesta, captis Megaris (quæ Atheniensium erant) urbem Corinthijs, omnibusq; id appetentibus habitandam dederunt. quare Megarenses mutatis moribus & lingua, Dorienses effecti sunt: quam appellationem Care Phoronei filio ibi regnante inualuisse aiunt, & tunc primum Cereris sacra se nactos esse, hominesq; urbem Megara nominasse. Hæc de se ipsi Megarenses commemorant. Boeotij uerò Megareum Neptuni filium, qui Onchestũ urbem incolebat, Bœotiorum exercitu Niso subsidio uenisse

Theseus luctæ inuentor.

Megaris.

μεγαρεῦσιν καλεῖται

Megarẽses, Dorienses effecti.

Megareus Neptuni F.

uenisse referũt, aduersus quem Minos bellũ gerebat. hũc in pugna cecidisse, ibiq; sepultũ urbi Megara nomen fecisse, cũ antea Nisa diceretur. Addũt Megarenses, duodecim post Cara Phoronei filiũ sæculis, Lelega ex Aegypto profectũ, regnum obtinuisse: eoq; regnante, Lelegas uocitatos fuisse. Tum ex Clesone Le- *Leleges.* legis filio Pylam natũ, ex Pyla Scironem, eũ duxisse uxorẽ Pandionis filiã. deinceps orta inter Pandionis filiũ Nisum et Scironem contentione de regno, Aea- *Nisus.* cum litis disceptatorẽ, regnũ Niso posterisq; adiudicasse, Scironi belli imperiũ. Mox cum Megareus Neptuni filius Iphinoẽ Nisi filiã cepisset, Niso in regnũ (ut aiũt) hęres fuit. Cretẽse autẽ bellũ, urbisq; Niso regnãte captiuitatẽ, se scire dissimulant. In urbe fons est, quem ædificijs Theagenes construxit: cuius filiã Cy- *Theagenes* loni Athenięsi nupsisse, suprà meminimus. Hic ergo rerũ potitus, fontẽ ædificio ornauit, egregij sanè spectaculi magnitudine, ornatu multitudineq; colũnarũ. in eũ aqua illabitur, quam Sithnidũ nympharum *Sithnides nymphæ.* nũcupant, quas Megarenses populares suas esse affirmant, & cum unius earum filia Iouem concubuisse: inde Megarum natum, Deucalionis tempore diluuium euasisse in Geraniam montem, cum nondum ita uocaretur. Sed quoniam ad gruum superuolantium *Gerania.* clangorem ille enatauit, inde monti nomen Geraniæ inditum. Non procul ab eo fonte templum uetustũ, in quo ætate quoq; nostra imperatorum Romanorũ statuæ erectæ sunt, & æneum Dianæ quæ Sospita co- *Diana Sospita.* gnominatur simulachrũ. nam fama est, cum Mardonij exercitus milites agrum Megarensem populati, Thebas ad Mardonium ducem redire uellent, Dianę numine noctem interuenisse, eosq; locorum itinere ignaros aberrasse in partes regionis montanas, ubi cũ

m hosti-

hostilem exercitũ in proximo esse suspicarentur, sagittas emisisse: quarũ repercussu quoniam rupes proxima gemitum edebat, ardentiores (ut aiunt) ad sagittandum facti sunt, putantes hostium corporibus sagittas contineri. interea dies illuxit, hostesq; subiere. qui cum armati aduersus inermes ac sagittis uacuos dimicarent, multos ex ijs interfecere. cuius rei gratia Dianæ Sospitæ simulachrum erexerunt. Ibi deorum, qui XII. appellantur, imagines: quæ Praxitelis opificio tribuuntur. Dianam ipsam Strongylion effinxit. Inde ubi ad Iouis, quem Olympiũ uocitant, lucum accedis, ædes spectatur insignis: in ea Iouis simulachrũ nullum elaboratum. nam Peloponnesiacũ aduersus Athenienses bellum occupauit, in quo Athenienses naualibus terrestribusq; copijs Megarensium fines quotannis ita uastarunt, ut non solum publica attriuerint, sed priuatorum, etiam domos penitus labefactarint. Iouis simulachro os ebore auroq; constat, reliquũ uerò corpus luto & gypso: opus (ut testãtur) Theocosmi Megarensis, adiutore Phidia. Supra Iouis caput Horæ sunt, & Parcæ. uni enim ipsi fata patere notissimum est, eundemq; tempus ubi opus sit distribuere. Post templum iacent ligna impolita, quibus auro eboreq; ornatis Theocosmus Iouis statuam perficere meditabatur. In eodem templo triremis rostrum æneum positum est, quam in pugna nauali aduersus Athenienses iuxta Salamina se cepisse cõmemorant. Athenienses quoq; fatentur, Salaminẽ aliquando à se defecisse, Megarensiũ partes secutam: sed carmine Solonis elegiaco se postea incitatos, in bellũ pro ea insula descendisse, uictoresq; eam rursus in potestatem redegisse. Contrà Megarenses aiunt, quosdam suos fugitiuos, quos Dorycliοs nuncupant, Salaminem ad domi-

Horæ & Parcæ supra Iouis caput.

Salamis ἀμφισβητούμενος.

dominos perueniſſe, eorumq́ue opera Salaminem Athenienſib. proditam. Poſt Iouis lucũ cum reuerteris ad arcem, quæ hoc etiam tempore Caria à Care Phoronei filio cognominatur, Bacchi Nyctelij templũ eſt: & Veneris * curatricis delubrum, ac Noctis quod oraculum dicitur: Iouis item puluerei ædes, ſine tecto: Aeſculapijq́ue ſimulachrum, & Hygiæ, Bryaxis opera. Ibi et Cereris * ędes magna, quam à Care ſtructã fuiſſe arbitrantur. Ex arce deſcendentibus, qua regio ad ſeptentrionem uergit, Alcmenæ eſt monumentum, iuxta Olympij Iouis templum. dicitur enim Alcmene, cum Argis Thebas proficiſceretur, in itinere in agro Megarenſi interijſſe, exorta inter Herculis filios contentione: cum alij cadauer Argos referre uellent, alij Thebas, quòd filiorum Herculis ex Megara, & Amphitryonis monumentum in Thebis eſſet. Oraculum autem Delphis reſpondit, magis expedire ut Alcmene in Megaricis finibus ſepeliretur. Hinc qui ſuæ gentis res exponebat, nos ad eum locum duxit, qui (ut aiebat) Rhus dicebatur, quòd aqua ex montibus hàc defluxerit, & Theagenes olim tyrannus aliò aquis deriuatis, ibi aram Achiloo cõſtituerit. Propè Hylli Herculis filij monumentum eſt, qui cum Arcade quodã Echemo, Aëropi filio, ſingulari certamine dimicauit. Quis autẽ fuerit Echemus, à quo Hyllus eſt interfectus, alibi exponemus. Sepultus itẽ eſt Hyllus Megaris. Hanc autem iure appellaueris Heraclidarum expeditionem in Peloponneſum, regnante Oreſte. Non procul ab Hylli ſepulchro Iſidis ædes conſpicitur. & deinceps Apollinis ac Dianæ, ab Alcathoo erectum, quem ibi leonem Cithęronium appellatũ extinxiſſe memorant: à quo leone cum alios, tum Eurippum Megarei regis ſui filium interfectum aiunt:

Margin notes: ἐπιστροφίας (*); τὸ καλλίμορφον μέγαρον (*); *Alcmenæ monumentum.*; *Rhus.*; *Hylli tumulus.*; *Leo Cithæronius.*

aiunt: Timalcum uerò alterum eius filium natu grandiorem antea à Theseo necatum, cum bellum unà cũ Castore & Polluce ad Aphidnam gereret: Megareũ autem & filiæ nuptias, & regni successionem ei proposuisse, quicunq; leonem Cithęroniũ strauisset: icirco Alcathoum Pelopis filium feram aggressum, euasisse uictorem. & cum primum regnum suscepit, hoc templum constituit, quod Agrestis Apollinis, Agrestisq; Dianæ dici uoluit. hæc illi ita gesta fuisse narrant. Equidem cupio, quæ à Megarensium sermone non discrepent, scribere: sed quo pacto in rebus omnibus hoc pręstare possim, non reperio. Leonem certè in Cithęrone ab Alcathoo interfectum fuisse, assentior: sed quis Timalcum Megarei filium Aphidnam cum Castore et Polluce uenisse scribit? aut si etiam uenit, quis eum à Theseo necatum fuisse credat? cum Alcman poëta carmine in Castorem Pollucemq; cōposito, eo argumento quod ipsi Athenas ceperint, & Thesei matrem captiuam duxerint, tunc Theseum ipsum abfuisse fateatur. Pindarus uerò cum eadem cecinit, tum addidit, Theseum optantem sororem Castoris & Pollucis uxorem, ad conficiendas nuptias sociũ Pirithoo profectum. Sed quisquis ille fuerit, qui ea serie antiquum genus recensuit, Megarenses admodum hebetes esse existimauit: siquidem Theseus à Pelope genus ducit. nimirũ Megarenses ueritatem historiæ non ignorant, sed dissimulant. nolunt enim intelligi, urbem suam Niso regnante captam fuisse, sed Megareum Nisi generum in regnum successisse: & deinceps Alcathoum, Megarei filium. Videtur profectò Alcathous eo tempore ex Elide uenisse, Niso mortuo, Megarensiumq; rebus afflictis. cuius rei argumentum est, quod statim murum ædificauit, quia

Apollo ἀγραῖος. Diana ἀγροτέρα. Alcathous.

uetus

uetus iam dirutus esset à Cretensibus. De Alcathoō igitur, & leone, siue in Cithęrone siue alibi eo domito, Dianę agrestis et agrestis Apollinis templum erexit. hæc hactenus. Cum ab hoc templo descendis, Pandionis heroū occurrit: quem eo loco sepultum iam diximus, quem Mineruæ* Ethysiæ scopulum uocant: tamen Megaris quoq; in honore est. Iuxta Pandionis heroum, Hippolytæ monumentum est: de qua quid Megarenses narrent, exponemus. Cum Amazones propter Antiopen aduersus Athenienses bellum gerentes, à Theseo superatæ sunt, multas in acie occubuisse aiunt: Hippolytam uerò Antiopes sororem, tunc aliarum ducem, cum paucis Megara aufugisse. Quocirca cum exercitus cladem accepisset, maximoq; dolore afficeretur, ac de rerum quę Themiscyræ domi erant salute desperaret, mœrore eam interijsse aiunt, & à se sepultam. Ei monumentum datum, peltæ Amazonicæ specie. Non procul est Terei tumulus, qui Prognem Pandionis filiam uxorem habuit. Regnauit autem Tereus, ut Megarenses affirmant, circa fontes quæ Megaridis dicuntur: ut uerò ego sentio, & uestigia adhuc extant, in Daulide, quæ supra Chæroneam est, regnū tenuit. nam eam quam nunc Græciam appellamus, Barbari multis in locis tenuerūt. eos uero Tereus in ditionem redigere non potuit, ob ea quæ & ipse in Philomelam, & mulieres aduersus Itym egerant. Iccirco Megaris necem sibi ipse consciuit: cui tumulū statim eduxerunt, persoluuntq; singulis annis sacra, in quibus calculis pro hordeo utuntur. ibi quoq; upupam auem primum uisam referunt: mulieres autem Athenas uenisse, lugentes, quidq; passæ essent, et quid item contra intulissent testantes lachrymis, ita ut miserabiliter sese conficerent. Atq; inde a-

αἰθυίας ἀθηνᾶς.

Hippolyta Amazo.

Tereus.

Procnes & Philomelæ metamorphosis.

 struunt

ſtruunt ominatas earum in luſciniam & hirundinem transformationes, ea (ut puto) occaſione, quod hæ aues neſcio quid miſerabile & luctui ſimile canunt. Alterã quoq; arcem Megarenſes habent, quæ ab Alcathoo nomen accepit: nam in eam aſcendentibus, ad dextram Megarei monumentum poſitum eſt, qui in Cretenſium expeditionem eorum ſocius ex Oncheſto uenit. Oſtenduntur præterea foci deorum, qui

Dij προδόμαι

ueſtibulares appellantur: quibus Alcathous primus, cum murum condere inciperet, ſacrificaſſe dicitur. Iuxta eos focos lapis uiſitur, unde Apollinem operam ad murum ædificandum Alcathoo prẹſtiturum, citharam ſuſpendiſſe aiunt. Hoc etiam mihi argumẽtum eſt, quòd Megarenſes Athenienſium * municipes fuerint, nam Peribœam Alcathoi filiam unà cum Theſeo in Cretam ad tributum perſoluendũ miſſam fuiſſe, conſtat. Tunc Apollo (ut aiunt Megarenſes) muri ædificationem iuuit, appoſuitq; citharam lapidi. Eum lapidem ſi quis fortè calculo petat, nihilo ſecius inſonat quàm pulſata cithara: quod magnopere ſum miratus. Multo tamen maiore me affecit admiratione Aegyptiorum coloſſus, qui Thebis Aegyptijs eſt, poſtquam Nilum traieceris. uidi enim ad hoc uſq; tempus ſtatuam ſedentem, iuxta eum locũ quem Syringas uocant: eum pleriq; Eleuſinij Memnonem uocant, quem ex Aethiopia profectum in Aegyptum ueniſſe arbitrantur ad Suſas uſq;: Thebani tamen Memnonem eſſe negant, ſed *quendam popularem ſuum eſſe aiunt, cuius ea ſtatua ſit. Audiui etiam, qui hanc Seſoſtri ſtatuam tribuant, quam Cambyſes mutilauerit, ac nunc quoq; ea pars, qua à capite ad medium corpus extenditur, diſtracta eſt; reliquũ corpus ſedet, & quotidie oriente ſole inſonat, quem ſonitum ſimilem

ὡς συντέλουν ἐς ἀθηναίους

Lapis κιθαρῳδὸς

ἐλθεῖν μέμνονα

φαμένωφα δὲ

Memnonis ſtatua.

similem dixeris diruptæ chordæ lyræ aut citharæ. Megarensium quidem curia olim Timalci (ut aiunt) tumulus fuit, quem paulo antè à Theseo interfectũ negaui. in arcis autem uertice Mineruæ templũ conditũ est, simulachro eius aurato, præter manus & imos pedes. nam hæ partes, & os eburnea sunt. Alterũ ibidem Mineruæ sacellum est, quæ Victoria dicitur: & aliud Aeantidis. quæ ergo de his dicenda sunt, rerum Megarensium interpretes omiserunt: sed quæ'nam fuisse tamen arbitror, explicabo. Telamon Aiacis F. Periboeam Alcathoi filiam uxorem habuit: ut existimem, Aiacem cum in Alcathoi imperiũ successisset, Mineruæ simulachrum constituisse. Apollinis quidem templum uetus lateritium erat: Hadrianus uerò candidiore marmore idem construxit. Porrò Apollo, qui Pythius & Decumanus cognominatur, Aegyptiorum simulachris persimiles sunt: & is quem archegetem uocitant, Aeginensium opus uidetur, ex ebeno constat. Equidem audiui Cyprium quendam, qui herbarum genera omnia ad medicandos homines optimè dignoscere sciebat: is ebenum folia producere negat, neq; fructum ullum ex ea existere: deniq; sub sole nusquam apparere, sed esse radices subterraneas, quas Aethiopes fodiant, apud quos sint qui ebenum reperire sciant. Est uerò etiam templum Cereris legiferæ, atq; hinc descendentibus, Callipolidis Alcathoi filij monumentum apparet. Habuit Alcathous & alterum natu grandiorem filium Echepolim, quem pater aduersus Aetoliæ feram misit subsidium Meleagro. Ibi cum perijsset, primus Callipolis illius necem resciuit. quare in arcem accurrit, atq; ut pater Apollini sacrificabat, ligna ex aris disijcit. Alcathous uerò, qui de Echepolidis morte nihildum audiuerat,

Minerua Acantia.

Ebenum.

Callipolis.

rat, filium Callipolim tanquam impie agentem damnauit, ac statim iratus necauit, allisum stipitib. lignorum quæ ex ara abiecta fuerunt. In uia ipsa ad Prytaneum, Inus heroum est: circa quod ambitus marmoreus, in quo oleæ germinant. Soli autem ex Græcis omnibus Megarenses aiunt, Inus cadauer in regionē suam maritimam cecidisse: idq; à Clesone & Tauropoli Clesonis filiabus, Lelegis filij, inuentum ac sepultum, appellatamq; fuisse Leucotheam apud se primum: cui quotannis sacrificant. Aiunt item, Iphigeniæ heroum illic esse. nam eam quoq; Megaris extinctam. Ego uerò aliam quoq; de Iphigenia historiam, quæ ab Arcadibus manauit, audiui. Scio præterea Hesiodum in mulierum catalogo, negare Iphigeniā interijsse: sed Hecaten effectam, Dianæ numine. Cum quibus ea congruere uidentur, quę Herodotus tradit, homines scilicet in Taurica, qui facto naufragio euaserunt, Scythicæ uirgini imolare, quam Iphigeniam uirginē Agamemnonis filiam esse affirmant. Apud Megarenses etiā Adrastus in honore est. nam eum quoq; apud se diem suū obijsse ferunt, cum Thebis captis exercitum reduceret. mortis uerò causam, senectutem fuisse, & Aegialei filij obitum. Visitur itē Dianæ templum quod Agamemnon cōstruxit, cum Megara uenit ad hortandum Calchantem, qui illic habitabat, ut sibi ad Troiam comes accederet. In Prytaneo Menippum Megarei filium sepultum commemorant, itemq; Echepolim Alcathoi filium. Iuxta Prytaneum saxum iacet, quod Anaclethra, id est reuocationem nuncupant: quoniam Ceres (si cui uerisimile uidetur) cum filiam peruestigans uagaretur, ibi quoque eam reuocauerit. Cui famæ conueniunt, quæ Megarenses mulieres ætate quoq; nostra agunt.

Tumu-

Ino quæ & Leucothea.

Iphigenia.

ἀνάκληθρα

Tumuli etiam sunt Megaris in ipsa urbe, quorum alterum his qui in bello aduersus Xerxem occubuerunt dedere: alterum, qui Aesymnius dicitur, heroũ hoc quoq; monumentum erat, Hyperioni Agamemnonis filio: is enim postremus Megarense regnum obtinuit. Sed cum propter improbitatem insolentiamq; * à Pandione interfectus fuisset, neminem unũ regem amplius creandum statuerunt, sed magistratus eligendos, * aliquaq; ex parte audiendos græcos. tũc Aesymnius nulli Megarensium laude inferior, Delphos ad Apollinem consulendum uenit, eumq; interrogauit, quo pacto fœlices esse possent? oraculum cũ alia respondit, tum, Fœliciter acturos Megarenses si cum pluribus consultarent. Quod uerbum cum ad mortuos pertinere arbitrarentur, curiam ibi construxerunt, ut eius ambitu heroum tumulus comprehenderetur. Hinc ad Alcathoi heroum euntibus, quo Megarenses ad literas seruandas utebantur mea memoria, monumentum dicebant esse, alterum Pyrgus Alcathoi uxoris, antequam Euæchmen Megarei filiam duceret: alterum, Iphinoës Alcathoi filiæ, quam mortuam aiunt uirginali adhuc ætate. unde puellis mos esset, ante nuptias ad Iphionis tumulum libamẽta ferre, primitiasq; crinium deponere. Cum ad Bacchi templum ingrederis, tumulus est Asycratiæ & Mantus filiarum Polyidi, filij Cerani, filij Abantis, Melampodis filij. Cum Megara Alcathous uenisset, piaculo cædis in Callipolidẽ filiũ lustratus, Bacchoq; Polyidus templum erexit, & simulachrum dicauit, quod ætate nostra totum latebat præterquam ore: ea enim tantum parte extat. assistit ei satyrus Praxitelis, opus marmore Pario, hunc patrium nuncupant: alterum uerò Bacchum, * Dascylium. eam statuam ab

[Margin notes: αἰσύμνιον (beside "heroũ"); ὑπὸ σκαιδίο τος (beside "neminem unũ"); ἀνὰ μέρος ἀκούειν ἀλλήλων (beside "statuerunt... Del-"); Iphinoë. (beside "quam"); δασκύλλιον (beside "statuam ab")]

Euchenore filio Cœrani, Polyidi F. positam fuisse aiunt. Post Bacchi templum Veneris ędes, simulachro ex ebore Veneri dicato, quod Praxis cognominatur, id est in delubro uetustissimum. Praxitelis item opera, Pitho, & alia quædam dea, quam Paregoram, id est consolatricem appellant: à Scopa effictus Cupido, & Desiderium, ac Pothos: quæ tam specie inter se differunt, quàm etiam effictione. Iuxta Veneris templũ, Fortunæ ædes, quę et ipsa Praxitelis opus est. In proximo templo Musas Iouemq; æneum Lysippus effinxit. Habent item Megarenses Corœbi tumulum: in quem compositos uersus, tametsi Argiuis communes sunt, exponemus. Crotopo Argis regnante, Psamathen eius filiam, puerum ex Apolline enixam aiũt: quæ cum patrem admodum timeret, filium exposuerit: hunc canes, qui ex Crotopi armentis fortè eò inciderunt, absumunt. Apollo Argiuis in urbem Pœnã immittit, quam filios ex matrũ complexu rapere solitam aiunt: Corœbus uerò in Argiuorum gratiam fœminam necauit, sed post illius necem, quoniam pestilentia quæ eos occupauerat, nihil remittebatur, Corœbus sponte Delphos accessit, ut pœnas Apollini daret Pœnę à se cęsę. Oraculũ ne Argos rediret monuit, sed ut tripodem extemplo tolleret, atq; ubi ei decideret, ibi Apollinis ædem construeret, & illic ipse inhabitaret: ad Geraniam montem tripos ei lapsus decidit, ubi Tripodiscos uillam ædificauit. Sed Corœbo tumulus est in Megarensium foro, uersibus elegiacis in Psamathen ipsumq; Corœbum adscriptis: ac tumulo additum opus, Corœbus fœminam interficiens. His simulachris uetustiora nulla uidi apud Græcos, cum omnia perscrutatus sim. Iuxta Corœbum tumulatus est Orsippus, qui in ludis olympicis cum subliga-

Venus Praxis. *Corœbus.* *Pœna.* *Tripodisci.* *Orsippus.*

subligaculũ ueteri athletarum more sumpsisset, mox nudatus, decurso stadio uictoriam est adeptus. Eundem postea exercitus ducem, finitimorum agrum populatũ aiunt: equidem eum de industria exuisse subligaculum in Olympia crediderim, cum intelligeret homini nudo quàm* fibulato cursum esse expeditiorem. In descensu ex foro per uiam quæ recta dicitur, ad dexteram templum est Apollinis Prostaterij, quod paruo à uia deflexu inuenias: in eo positus est Apollo insigni imagine, & Diana, & Latona, alia præterea ibidem simulachra, Praxitelis opera, Latonæ uidelicet, & liberorum. Ad portas quæ Nymphades appellãtur, in ueteri gymnasio, lapis exurgit in pyramidis haud sanè magnæ speciem, quem Apollinem uerticosum nuncupant, eodem loco Lucinæ ædes sita. Hactenus de his quæ in urbe spectes. Ad nauale uerò, quod tempore etiam nostro Nisæa appellatur, ubi descendis, fanum Cereris Malophoræ: de qua cognominatione cum alia referuntur, tum illud, Maiores rem pecuariam cum exercerent, nominasse Cererem Malophoron, quasi ouibus feracem. cuius tectum uetustate collapsum, facilè animaduertas. Ibidẽ ara, quæ & ipsa Nisæa dicitur. In descensu ex arce, ad mare situm est monumentum Lelegis, quem ex Aegypto profectũ regnum tenuisse memorãt, natum ex Neptuno & Libya Epaphi filia. Finitima est Nisęę insula non magna, * quæ Minos dicitur. Cretensium classis in bello aduersus Nisum pro statione usa est. Pars Megaridis montana quæ ad orientem uergit, Bœotiæ est contigua: ubi Megarenses duo oppida condiderunt, Pagas & Aegisthęnam. Cum Pagas accedis, si paulululum ex uia publica diuertis, petram uideas sagittis undiq; confixam, in quam Medi olim no

πεπορπημένῳ

Prostaterius Apollo.

Apollo καρινός.

Malophora Ceres.

Lelegis monumentum.

in qua Minos Cretensiũ classem bello aduersus Nisum appulisse dicitur.

Petra βελοπαγής

ctu iaculati sunt. Pagis uerò in ipsa urbe, quod quidem spectes adhuc perstat fanum Dianæ, quam Sospitam nuncupant, simulachro æneo, magnitudine nõ cedente illi quod Megaris est, nec dissimile specie ulla ex parte. Eodem loco heroũ Aegialei, filij Adrasti, quem eo bello quod secundum Argiui aduersus Thebas gessere, primo prelio iuxta Glisam oppidum interfectum, necessarij Pagas in Megaridem retulerunt, atq; ibi humarunt. & adhuc heroum ipsum Aegialeum dicitur. In Aegisthæna fanum est Melampodis, Amythaonis filij, uirq; mediocri statura in columna effictus. ibi Melãpodi sacrificant, diemq; quotannis festum agunt: eum tamen nec per somnia, nec alio pacto uaticinia reddere testantur. Illud quoq; in Erenia uico Megarico audiui, Autonoen Cadmi filiam Acteonis morte (quæ uulgata est) totiusq; paternæ domus calamitate admodum consternatam, in eũm uicum à Thebis migrasse: monumentumq; Autonoes illic ostenditur. Cum à Megaris Corinthum proficisceris, cum aliorum tumuli occurrunt, tum Telephanis Samij tibicinis: quem à Cleopatra filia Philippi, Amyntæ filij, constructum fuisse fama est. Caris item Phoronei filij monumentum est, quod initio humo tantũ aggestũ fuerat: sed postea oraculo ita iubente, marmore Conchite ornatũ est: quod marmoris genus apud Megarenses tantũ reperitur, ex eoq; multa in urbe ab ipsis ædificata sunt. est autem admodũ candidũ, & reliquis mollius, semperq; in eo sunt marinæ conchæ. atq; id eiusmodi marmor est. Scironẽ uerò, quæ ab Scirone nomen accepit, cum ille Megarensium in bello imperator fuit, primus ita muniuit, ut *homini cum iumentis illac ire liceat: Adrianus uerò imperator adeò & latam & commodam reddidit, ut etiam

Aegialeum heroum.

Conchites, lapis.

Scirone uia.

ἀνδράσιν εὐζώνοις

ut etiam occurrentia sibi mutuò plaustra transire facilè possint. De rupibus autem, quæ in uiæ angustijs maximè eminent, fabulosa in primis narrantur: ac de ea quam Molurida uocant, quod Ino cum Melicerta filio natu minore illinc in mare se deiecerit. Learchum enim grandiorem pater interfecit. Additur, Athamantem propter furorem id egisse. Nec illud siletur, quod Athamas iram exercuerit aduersus Ino, & eius liberos, cum famem qua Orchomenij laborabant, ac Phryxi uulgatam necem audiuisset: eaq; diuinitus accidisse, & in his omnibus Ino nouercam operam præstitisse: quo tempore illa ad mare cum fugisset, se unà cum filio ex Moluride saxo deiecit. Sed cum Melicertes puer in Isthmum Corinthium à delphine (ut in sermone est) euectus esset, cum alij honores ei constituti fuere, quem Palæmonem mutato nomine appellarunt: tum in illius laudem Isthmia quotannis celebrant. Moluridem sanè rupem Leucotheæ & Palæmoni consecrarunt: reliquas quæ post illam sunt, pollutas arbitrantur, quoniam Sciron earum incola aduenas omnes qui in eum locum incidebant, in mare emittebat: enatabat'que ex saxis testudo, quæ illuc proiectos corripiebat. testudines autem maritimæ terrestribus similes sunt, præter magnitudinem & pedes, quos similes phocis habent. Idem supplicium Scironem, in idem mare à Theseo abiectum, oppressit. In montis uertice Iouis dimissorij templum apparet. narrant enim, cum siccitas Græciam inuasisset, post peractum ab Aeaco sacrificium ex oraculo quodam Ioui * græcanico in Aegina, Iouem quæ oblata acceperat dimisisse, atque ita dimissorium appellatum. Ibi Veneris simulachrum est, & Apollinis, & Panos. Vbi processeris,

Moluris. Ino. Palæmonis Isthmia. Sciron latro. Iupiter ἀφέσιος. πανελλήνιος

cesseris, uideas monumentum Eurysthei, quem ex Attica fugientem, post pugnam aduersus Heraclidas, hoc loco ab Iolao trucidatum fuisse affirmant. In descensu ea ipsa uia ædes est Apollinis Latonij, ubi mox Megarensium & Corinthiorum fines coniunguntur: quo loco Hyllus cum Echemone Arcade, singulari certamine dimicasse traditur.

ATTICAE EX PAVSANIA A' Domitio Calderino uersæ FINIS.

PAVSANIAE CORINTHIACA, EODEM DOMITIO CALDERINO Interprete.



ORINTHIACA regio pars est Argiuæ, nomenq; ab Corintho accepit. ex Ioue autem Corinthum natū esse nemo adhuc scripsit, quod quidem sciam, præter eos qui Corinthiorum uulgo blandiri uoluerunt. Nam & Eumelus Amphilyti F. eorum qui Bacchiadę uocabantur gentilis, qui poema quoq; composuisse dicitur, in historia Corinthia (siquidē Eumeli historia est) scriptum reliquit, Ephyram Oceani filiam eos fines primam incoluisse: insequenti uerò tempore Marathonem Epopei filium, qui ex Aloëo Solis filio genitus erat, cum iniquitatem contumeliamq; patris effugeret, loca Atticæ maritima tenuisse: defunctoq; Epopeo, in Peloponnesum reuersum, distributo liberis regno ipsum in Atticam rediisse: atq; à Sicyone Asopiam, à Corintho uerò Ephyræam (appellatione pristina immutata) denominatas. Vrbs Corinthus à nemine antiquorum Corinthiorum incolitur: sed ab iis tantum, qui à Romanis in coloniā illuc missi sunt. cuius rei causa est Achiuorum concilium: cuius quoniam Corinthii complices fuerant, bellum aduersus Romanos unà gessere. cuius belli gerendi Critolaus Achiuorum imperator electus, autor extitit: siquidē Achiuos, multosq; extra Peloponnesum ad defectionē solicitauit. Sed Romani ex eo bello uictores, Græciæ arma ademerūt, æquaruntq; solo mœnia, quęcūq; urbes cinxerunt. Corinthum à *Mumio Romani exercitus ductore euersam, Cęsar postea coloniam fecit, qui primus Romanæ Reipublicæ eam quæ nostra

Corinthus. Eumelus. Asopia. Ephyrea. Corinthus Romanis capta. *Mummius

quoq;

cesseris, uideas monumentum Eurysthei, quem ex Attica fugientem, post pugnam aduersus Heraclidas, hoc loco ab Iolao trucidatum fuisse affirmant. In descensu ea ipsa uia ædes est Apollinis Latonij, ubi mox Megarensium & Corinthiorum fines coniunguntur: quo loco Hyllus cum Echemone Arcade, singulari certamine dimicasse traditur.

ATTICAE EX PAVSANIA A' Domitio Calderino uersæ
FINIS.

PAVSANIAE CORINTHIACA, EODEM DOMITIO CALDERINO Interprete.



CORINTHIACA regio pars est Argiuæ, nomenq; ab Corintho accepit. ex Ioue autem Corinthum natũ esse nemo adhuc scripsit, quod quidem sciam, præter eos qui Corinthiorum uulgo blandiri uoluerunt. nam & Eumelus Amphilyti F. eorum qui Bacchiadę uocabantur gentilis, qui poema quoq; composuisse dicitur, in historia Corinthia (siquidẽ Eumeli historia est) scriptum reliquit, Ephyram Oceani filiam eos fines primam incoluisse: insequenti uerò tempore Marathonem Epopei filium, qui ex Aloëo Solis filio genitus erat, cum iniquitatem contumeliamq; patris effugeret, loca Atticæ maritima tenuisse: defunctoq; Epopeo, in Peloponnesum reuersum, distributo liberis regno ipsum in Atticam rediisse: atq; à Sicyone Asopiam, à Corintho uerò Ephyræam (appellatione pristina immutata) denominatas. Vrbs Corinthus à nemine antiquorum Corinthiorum incolitur: sed ab his tantum, qui à Romanis in coloniã illuc missi sunt. cuius rei causa est Achiuorum concilium: cuius quoniam Corinthij complices fuerant, bellum aduersus Romanos unà gessere. cuius belli gerendi Critolaus Achiuorum imperator electus, autor extitit: siquidẽ Achiuos, multosq; extra Peloponnesum ad defectionẽ solicitauit. Sed Romani ex eo bello uictores, Grę-cię arma ademerũt, æquaruntq; solo mœnia, quęcũq; urbes cinxerunt, Corinthum à * Mumio Romani exercitus ductore euersam, Cęsar postea coloniam fecit, qui primus Romanæ Reipublicæ eam quæ nostra

Corinthus. Eumelus. Asopia. Ephyræa. Corinthus Romanis capta. μυμμίῳ

quoq;

quoq; ętate seruatur administrationē constituit. idem Carthaginem, cum imperaret, coloniam misit. Locus item qui Cromion uocatur, à * Cromione Neptuni filio, ad fines Corinthios pertinet. eo loco * porcam Cromioniam altam fabulantur, quæ in Thesei laboribus numeratur. nam ubi processeris, picea iuxta littus meo quoq; tempore extabat: & ara erat Melicertæ. hunc in locum Melicertem puerum à delphine euectum, fama est: in eumq; illic iacentem, Sisyphum incidisse, & sepelisse in Isthmo, instituisseq; in eius honorem Isthmicum certamen. In Isthmi uerò initio locus est, ubi Sinis latro apprehensas piceas in terram flectebat, & quos pugna uicisset, his alligatos sinebat in aërem efferri. quocirca cum utraq; arbor alligatum ad se traheret, uinculiq; nodus in neutram laxaretur partem, sed utrinq; pariter conuelleret, eueniebat ut qui alligatus esset dilaceraretur. Eodem pacto ipsum quoq; Sinin Theseus dilaniauit. uiam enim quæ ex Trœzene Athenas ducit, infestam latronibus, tutam reddidit Theseus, his de medio sublatis quos antè recensui: & demum ad Epidaurum sacram Periphete interfecto, qui Vulcani filius habebatur, & claua ænea utebatur ad pugnam. Isthmus quidem ipse Corinthiorum ad mare protenditur: altera parte quod Centhrea alluit, altera ad id quod Lechæum attingit. hoc enim mediterraneū eius continentem facit. Qui uerò Peloponnesum insulam efficere uoluit, cum Isthmūm perfodere cœpisset, destitit. & ubi id fodiendi opus fuerit incohatum, planè dignoscitur: neq; ad lapidosam partem eo opere peruenerunt. quocirca nūc continens manet, ueluti natura tulit. Alexander quoq; Philippi filius Mimantem montem perfodere conatus, id unum opus frustra tentauit, Cnidios autem Isth-

κρόμυ σιτυεκάμ πτίω

Isthmicum certamen.

Sinis latro.

Periphetes Corynetes.

Isthmi διώρυχ.

tem Isthmum intercidere aggressos, Apollinis oraculum deterruit: Vsque adeò rebus diuinitus constitutis manum iniicere non licet. Quod uerò de regione sua Corinthij commemorant, mihi uidentur Athenienses antea iactasse. aiunt enim Corinthij, Neptunum cum Sole de eo regno contendisse, hisq; extitisse Briareon arbitrum, qui Isthmum Neptuno adiudicauerit, Soliq; tribuerit promontorium quod urbi imminet: qua ratione Isthmũ Neptuni esse censent. Ibi theatrum est insigne, stadiũq; marmore candido. Cum ad templum accesseris, uideas altera parte colũnas stare athletarũ, qui in Isthmijs uicere: altera, consitum picearum nemus eo ordine, ut rectà inuicem succedant. templum his non est altius, & in eo Tritones ænei: & in templi uestibulo simulachra, duo Neptuni, & * Triton Amphitrites F. Mare ipsum quoque æneum. Quæ uerò intus sunt, Herodes Atheniensis ætate nostra dicauit: equos uidelicet quatuor auratos, exceptis ungulis, quæ ex ebore constant. ac iuxta equos duo Tritones sunt, inaurati etiam ipsi: sed pubetenus eburnei. in curru autem positi, Amphitrite ac Neptunus: & Palæmon deinde puer in delphine, auro eboreq; elaboratus. In media basi, qua currus sustinetur, est mare, Venerem ex se natam sustentans: utrinq; uerò Nereides. Eiusmodi aras in alijs etiam Græciæ locis esse scio: & aras insuper in lucis à pastoribus constructis, in quibus honores Achilli redduntur. in Gabalis * Dotus templum est consecratũ, ubi peplus adhuc perdurabat, quem Græci testantur, Eriphylem pro Alcmæone filio cepisse. In Pegmate Neptuni, duo Tyndari filij elaborati sunt: qui & ipsi nauiũ hominumq; (ναυτιλλομένων σωτῆρες) natitãtium conseruatores appellantur. Deinceps simulachra

De Corintho deorum contentio.

τριτὸν δὲ, tertium uerò Amphitritæ.

Δωτοῖς.

Tranquillitatis & Maris: equusq; in balenæ effigiem desinens, parte ea quæ à pectore incipit. Ino item, ac Bellerophontes, equusq; Pegasus. Intra muri ambitum ad læuam est Palæmonis fanum, in quo simulachra Neptunus & Leucothea, ac Palęmon ipse, aliud rursus ædificiũ, quod Adytũ nominant, quod subterraneis cuniculis aditur: ubi Palæmonem latêre opinãtur. ibi quicũq; periurauerit, siue Corinthius siue externus fuerit, nullo pacto euadere potest, quin periurij pœnas luat. Peruetustum etiam est Cyclopum delubrum, quod ara dicitur, in qua Cyclopibus sacrificant: tũ Sisyphi ac Nelei tumuli. etenim aiunt Neleum, cum Corinthum aduenisset, morbo perijsse, humatumq; in Isthmo. quod ne ab Eumelo quidem traditum reperies. Fama siquidem est, Nelei tumulum ne patri quidem Nestori à Sisypho indicatum fuisse, ignotumq; penitus esse omnibus oportere: Sisyphũ autem humatum esse in Isthmo, cuius tumulum uix pauci qui eius tempore uixere nouerint. Isthmicum uerò certamẽ ne euersis quidem à Mumio Corinthijs cessauit: sed quandiu urbs deserta fuit, Sicyoniorum curæ mandatum est ut Isthmia celebrarent: posteaq; rursus missa colonia instaurata fuit, honor ille ad ciues est relatus. Portubus Corinthijs nomina manarunt à Leche & Cenchria, qui Neptuni Pirenesq; Acheloi filiæ habiti sunt filij. In * magnis uero codicibus & Pirenem Oebali filiam esse traditũ est. Ad Lechæum Neptuni est fanum, & simulachrum æneum. Quà ex Isthmo ad Cenchreas itur, Dianæ templum, & statua uetus cernitur. In Cenchreis, Veneris templum, & simulachrum lapideum: post quod ad profluentem maritimum, Neptunus ęneus. in altero portus brachio, Aesculapij & Isidis templa. E regione uerò, Hele-

Cyclopum ara.

Corinthij portus.

ἐν ἠοίαις μεγάλαις

rò, Helenæ lauacrum est, aqua quæ ex saxo ubertim in mare delabitur, salsa, & aquæ quæ efferuescere inci piat similis. Vbi Corinthum ascendis, inter alia monumenta quæ ibi spectes, iuxta portam urbis Diogenes Sinopensis iacet sepultus, quem canem Græci cognominarunt. Ante urbem, cupressorum nemus uiret, quod Cranion uocant: in quo est Bellerophontis lucus, & Veneris Melanidis templum, ac Laidis monumentum, insculpta leæna, quæ prioribus pedibus arietẽ complectitur. Alterũ item in Thessalia est, quod Laidis existimant, in Thessaliam enim accessit, Hippostratis amore capta: antea uerò cum adhuc puella esset, ex Hyccaris (quę in Sicilia sunt) à Nicia & Athenienfibus captiuam fuisse referunt, Corinthiq́ue diuenditam, forma omnes eius temporis meretrices superasse, atq; in tantam uenisse æstimationem apud Corinthios, ut nunc quoq; pro Laide contendant. Multa uerò admiratione digna in ipsa urbe spectes, quorum alia ex antiquis remanent, pleraq; postea fabricata fuerunt. In foro igitur sunt (ibi enim plurima sunt templa) Diana cognomine Ephesia, & Bacchi simulachra aurata, præter os, quod pigmento rubro fucatum est. Hunc Bacchum Lysium nuncupant. quę uerò de his statuis narrãtur, ego quoq; scribam. Etenim fama est, Pentheum in Bacchi contemptum cum multa egisset, deniq; in Citheronẽ peruenisse ad Bacchas explorandas, ascendisseq́ue arborem, unde singula quę fiebant speculatus sit. Mulieres uerò ubi id depræhenderunt, euestigio Pentheum detraxisse, uiuumq́ue per frusta discerpsisse. Postea, ut Corinthij affirmant, oraculum his respondit, inquisita arbore illa parem Deo expiationem reddendam, qua de causa eas statuas effinxerunt. Est præterea Fortunæ delubrum, simu-

Cranion nemus.

Lais.

Penthei interitus.

lachro stante ex marmore Pario. Deinceps cunctorũ deorum delubrum. In proximo * aquæductus extru- *κρήνη* ctus est et supra eum Neptunus æneus, et sub Neptuni pedibus delphin aquam effundens: Apolloq́ cognomento Clarius, æneus: ac Veneris statua, Hermogenis Cytherij opus. Mercurij item duæ statuæ sunt, ex ære, quarum utraq; stat. alteri templum etiam additum. Quæ uerò ibi Iouis sunt, altera nulla cognominatione censetur, in altera eum Terrestrem appellant, in tertia altissimum. In medio foro Pallas ænea, in cuius basi Musæ insculptæ sunt. Paulo ultra forũ Octauiæ templum est, quæ Augusti Cæsaris soror fu- *Octauia.* it, Romanorum imperatoris post Cæsarem, Corinthi quæ nunc stat conditorem. Vbi ex foro egrederis, uia quæ ad Lechæum ducit, sunt Propylæa. & in his duo *Lechæum.* currus inaurati: quorũ altero Phaëton Solis filius gestatur, altero Sol ipse. Paulo post Propylęa, si ad dextrã flexeris, Herculem uideas æneũ. Post quem aditus se offert ad fontem Pireneum: de quo uulgatum est, *Pirene fons* Pirenem fontem effectum esse lachrymis Pirenes mulieris, cum filium Cenchriam à Diana per imprüden- *Cenchria.* tiam interfectũ lugeret. Fons ipse marmoris candidi ædificio exornatus, & diuersoria ex ipsis speluncis elaborata * uno genere, unde aqua sine ullo operimen- *κατὰ ταυτὰ* to in fontem illabitur. Eam potu suauem esse affirmant, æsq́; Corinthiũ candens calidum'ue ab ea corrumpi: postea quam scilicet Corinthij ære caruerunt. Iuxta Pirenem Apollinis simulachrum, & muri ambitus, intra quem picta res ab Vlysse gesta aduersus procos. Rursus cum ad uiam, quę recta ad Lechæum ducit, conuerteris, uideas Mercurium æneum sedentem, & iuxtà arietem. nam Mercurius præter cæteros deos, pastores curare & opibus augere uidetur. ueluti Home-

Homerus in Iliade cecinit:

ὑὸν φόρβαντος πολυμήλου, τὸν ῥα μάλιστα
ἑρμείας τρώων ἐφίλει, καὶ κτῆσιν ὄπασσε. Hoc est, *Iliad. ξ.*

Phorbantis gnatum pastoris, Mercurius quem
Dilectum ante alios, locupletem reddidit, omnes.

Sciens prætereo omnia quæ de Mercurio arieteq; * in matris mysterijs dicuntur. Post Mercurij simulachrum, Neptunus et Leucothea, ac Palæmon delphini insidens. Thermas uerò Corinthi habent multis in locis, quarum alias publica impensa, alias Hadrianus imperator construxit. fama uerò reliquas antecedũt, quæ iuxta * Apollinis ædem sunt: eas Eurycles Spartanus exædificauit, ornauitq; marmoribus cum alijs, tum ijs quæ * in glareis Laconicæ effodiunt. Ad læuam ingressus, Neptunus, & deinceps Diana uenatorio habitu posita est. Aquarum ductus multi tota urbe ducuntur, nempe ob aquarum copiam quæ illis affluit: & ea aqua quã Hadrianus imperator è * Stemphylo introduxit. Sed quæ potissimum mireris, Dianæ imago est, ac Bellerophontes, & aqua quæ ex Pegasi ungula manat. aliam quoq; spectes, cum ex foro discedens uiam ad Sicyonem ingrederis, ad * læuam. Deinde est Apollinis templum, et simulachrum æneum. Paulo uerò posterius fons, qui Glaucæ cognominatur. in hunc enim illa se abiecisse dicitur, quoniam ueneficiorũ Medeæ id esse remedium arbitrabatur. Supra hunc fontem constructum est, quod Odeum nuncupant. Vltra id, filiorum Medeæ est tumulus: quorum nomina apud illos sunt, Mermerus ac Pheres: quos à Corinthijs lapidibus obrutos fuisse referunt, quoniam munera Glaucæ detulerint. ob quam necem, quoniam uiolenta fuerat, et iniusta, Corinthiorum filij infantes ab his interficiebantur: donec ora-

τὸν ἐν τελετῇ μητρὸς λόγον

ποσειδῶνος Neptuni.

ἐν κρήναις

Fontes.

nimirum locus erat, in quo oliuæ exprimebantur. aut oliuarum fraces, quæ *στέμφυλα* Græci uocãt, abijciebãtur.

δεξιᾶ τοῦ ἰδῶ

Medeæ filij

culi responso sacra illis annua cõstituta sunt, & terror additus, qui ad nostram permansit ætatem, imago uidelicet mulieris in summũ terrorem effićta. Sed posteaquam Corinthus à Romanis euersa est, ueteresq́ Corinthij deleti, sacra illa nõ amplius his, ab ijs qui in coloniam uenerunt persoluuntur, neq; in honorem eorum pueri comam tondentur, aut uestem pullatam gestant. Eo autem tempore Medæa Athenas cum uenisset, Aegeo nupsit: postea deprehensis insidijs, quas Theseo parabat, Athenis quoq; aufugit, uenitq́ in eam regionem quæ tunc Aria appellabatur: ubi qui inhabitabant, ut Medi à suo nomine uocarentur, effecit. Filium autem, quem cum in Arios fugeret secum duxit, ex Aegeo susceptũ, Medumq́ appellatum fuisse aiunt. Hellanicus sanè eum Polyxenũ nuncupat, & Iasone patre prognatum affirmat. Vulgati certè sunt uersus quidam in Græcis, qui Naupactij dicuntur, in his scriptum est, Iasonem post Peliæ obitum, ex Iolco in Corcyram migrasse: maioremq́ natu eius filium Mermerum, cum * inter continentem ad uenationem processisset, à leæna discerptum. Nihil autem propositum est, quod Pheres memoriam referat. Cinæthon Lacedęmonius, qui carmine de generationibus scripsit, Medum, Eriopemq́ filiam, ex Medea Iasoni natos fuisse scribit. Sed neq; ipse ultrà de liberis aliquid tradidit. Eumelus uerò autor est, Solem quidem regionem distribuisse, Aloëo Asopiam, ac Aeetæ Ephyræam. & Aeetem in Colchos proficiscentem fines suos Buno regendos commendasse. Bunum uerò Mercurij Alcidamiæq́ filium extitisse: qui posteaquam diem suum obierit, Epopeus Aloëi F. Ephyręorum tenuerit regnum. Deniq; quoniam Corinthus Marathonis F. nullum reliquerat filium, Corinthios

Aria, quæ post Media.

Medus.

ἐν τῇ πέραν ἠπείρῳ

Medeam

Medeam ex Iolco aduocasse, eiq; regnum tradidisse: atq; ita mulieris opera Iasonem rerum Corinthi esse potitum. Medea liberos quidem pariebat: sed quem peperisset celabat, clamq; omnibus in Iunonis templum deferebat, quod eo pacto immortalem futurum speraret. Tandem cũ & ipsa se opinione sua frustrari animaduerteret, ab Iasone quoq; deprehensa est: qui errati ueniam petenti, non concessit, sed Iolcon enauigauit. Quas ob res Medeam, tradito regno Sisypho, abiuisse. Hęc quidem ita ut sese habent recensuimus. A monumento, Mineruæ Frenalis templum non procul distat. quando Mineruã præ cæteris dijs Bellerophontem cum in alijs iuuisse tradunt, tum ut ei Pegasum traderet, iam antea domuisse, indidisseq; frenos. Eius simulachrum ligneum est, præter os, manus, & imos pedes, quæ marmore candido constant. Equidem persuasum habeo, Bellerophontem, quãuis sui iuris non esset, tamen regnasse, eumq; uixisse Prœti & Argiuorum temporibus: quod sane affirmauerit, quicunq; Homeri carmen diligenter legit. Nec eo secius Corinthij, quamuis Bellerophon in Lyciam migrauerit, Argiuis aut Mycenæis temporibus paruisse principibus uidentur: nullum siquidem expeditionis ad Troiam ducem præbuerunt, sed illius classis fuerunt socij unà cum Mycenæis instructi, alijsq; quibus Agamemnon præerat. Sisyphus uerò nõ Glaucum solum (qui Bellerophontis pater fuit) sed Ornytionem quoq; habuit filium, ac Thersandrum deinceps, & Almum. Ornytionis autem Phocus filius fuit, qui Neptunus cognominatus est. hic in Thyræam migrauit, eius regionis quæ nunc Phocis dicitur. sed Thoas minor natu Ornytionis liberorum, Corinthi permansit. Thoanti Demophoon nascitur, Demo-

Minerua Chalinitis.

Bellerophon.

Sisyphi filij.

Demophoonti Propodas, Propodæ Dorides & Hyanthides: quibus regnantibus, Dorienses Corinthijs arma intulere, duce Alete Hippotæ filio, qui ex Phylante Antiochi Herculis filij genitus fuerat. Quare Dorides & Hyanthides regno Aletæ tradito, ibi substiterunt: populusq; Corinthius imperio deiectus est, prælio à Dorienfibus superatus. Aletes uerò, eiusque posteri ad Bacchim usq;, Prumnidis filium, quinque sæculorum spacio regnauerunt. Ab hoc Bacchidæ nuncupati sunt, potiti quinq; iterum sæculis ad Telestem usq;, Aristodemi filiū. Ac Telesten quidem Arieus & Perantas ob simultatem de medio sustulerunt. post quem anno tertio interregnum fuit: quo anno Prytanes ex Bacchiadis electi, summam rerum administrarunt: donec Cypselus Eetionis F. occupato per tyrannidem regno Bacchidas expulit. is autem Cypselus à Melane Antassi filio oriundus erat. Melenem uerò quo tempore ex Goneussa oppido supra Sicyonem aduersus Corinthios unà cum Dorienfibus bellū gerebat, Aletes ad alios Gręcos abire iussit, oraculo id prohibente. deinde quoniam ab oraculo aberrauerat, eum contubernio suscepit. Hanc rerū fortunæq; in Corinthijs regibus uarietatem comperimus. Mineruæ item Chalinitidis templū iuxta theatrum habent: & in proximo simulachrum Herculis nudum, ex Dædali (ut aiunt) opificio. Dædali sanè opera aspectu minus grata sunt, tamen genio quodā non carent. Supra theatrum ædes est Iouis, qui Romanorū lingua Capitolinus appellatur, græcè Coryphæon aptè dixeris. A theatro, magno interuallo distat gymnasium uetus, ac fons qui Lerna nuncupatur: in cuius ambitu columnæ surgūt, & sedilia sunt, fabricata ad excipiendos eos qui æstatis tempore illic

Corinthiorum reges.

Prytanes.

Dædali operá.

Capitolinus Iuppiter.

leuant

leuant calorem. In gymnasio proxima sunt duo deorum templa: alterum Iouis, Aesculapij alterum. & statuæ, Aesculapij quidem ac Hygiæ marmore candido: Iouis uerò simulachrum æneum. Cum ad Acrocorinthum (hic uerò montis qui urbi imminet uertex est, quem Soli, cum de eo certaretur, adiudicauit Briareus: Sol autem Veneri concessit, ut Corinthij asserunt) eò inquam cum accedis, sunt duo Isidis luci, quorũ alterũ Isidis Pelagiæ, alterum Aegyptiæ nuncupãt. Duo præterea Serapidis illic sunt sacella, quorum alterum eius est quem Serapidem in Canobo appellant. Deinceps aræ Soli consecratæ sunt, ac Necessitatis & Violentiæ fanum, quod ingredi fas non est. Supra hoc, Matris deûm delubrũ, columnaq; & solium, quod ex marmore cõstat, ex quo etiam ipsa dea. Aedes uerò Parcarum, & Cereris, ac Proserpinæ, in aperto non habet simulachra. Eadem regione templum est Iunonis Bunææ, à Buno Mercurij filio conditum, à quo dea ipsa Bunæa dicta. Cum ad Acrocorinthum rursus regrederis, templum occurrit Veneri dicatum: in quo sunt simulachra, & ipsa dea armata, & Sol, & Amor cum arcu. Fontem autem qui post templum scaturit, Asopi munus esse affirmant, quod ille Sisypho dederit: cum ille sciens Aeginam Asopi filiam à Ioue raptam fuisse, non prius se quærenti indicaturum affirmaret, quàm in Acrocorintho aquam haberet: quod si fontem Asopus daret, se indicaturum promisit. ac quoniam raptum illum indicauit Sisyphus, pœnas (si cui id credibile uidetur) apud inferos luit. Audiui etiam quosdam, affirmantes eum fontẽ esse Pirenẽ, atq; ex urbe subterraneis meatibus eam aquam eò fluere. Asopus ipse in Phliasia ortum habet, ac per Sicyoniã delapsus in mare erumpit. Fi-

Acrocorinthus. *Bunæa Iuno.* *Sisyphus.* *Pirene fons.*

Asopi filiæ. lias ex eo natas Phliasij referunt, Corcyram, Aeginã, ac Theben: & à Corcyra Aeginas, Scheriam & Oenonem insulas denominatas: à Thebe autem urbem sub Cadmea dictam, in quo tamen Thebani repugnant. Theben siquidem, Asopi Bœotij, non illius qui in Phliasijs est, filiam fuisse contendũt. Porrò Phliasij ac Sicyonij alia quoq; de Asopo amne commemorant: et illud in primis, quod ea aqua in suis finib. non scaturiat, sed adueniat externa aliunde. Siquidem Meander. Mæandrum à Celænis per Phrygiam & Cariam in mare, quod ad Miletum est erũpentem, in Peloponnesum deriuari, atq; Asopum efficere. Equidem rem huic similem ἰνωπὸν Nilus. à Deliacis audiui, * Oenopum scilicet amnem quem habent, ex Nilo deduci. Ac de ipso quoq; Nilo illud cõmemoratur, quod sit ex Euphrate, qui denicq; terra conditus, rursus supra Aethyopiam exiens Nilum efficit. Ex Acrocorintho ubi ad montana conuerteris, porta Teneatica se offert, & Lucinæ phanum: unde L X circiter stadijs Tenea distat. cuius regionis incolæ se Troianos esse dictitant, qui olim ex Tenedo à Græcis capti, ea loca Agamemnonis beἀπόλλωνα neficio tenuerint, qua de causa * eum præ cæteris dijs uenerantur. Cum ex Corintho proficisceris, non intra continentem, sed quà Sicyoniam itur, templum ἐν ἀριστερᾷ apparet incensum, non procul ab urbe, * in una parte uiæ. Multa profecto in Corinthiorum finibus & alia bella gesta sunt, ac demum (ut uerisimile est) domus, templaq; quę extra mœnia essent, incendio correpta sunt. ac templũ illud Apollinis fuisse narratur, à Pyrrho Achillis F. incensum. Postea hæc audiui, quod cum Corinthij Ioui Olympio templũ id cõstruxissent, immissus repentè ignis ex incerto, id absumpserit. Sicyonij uerò (nam ad eam partem Corinthijs finitimi

finitimi sunt, de regione sua haec narrant: Aegialeum indigenam in ea primum extitisse: totamque illam Peloponnessi partem quę nunc quoque Aegialis dicitur, illo regnante appellationē sumpsisse: ipsumque primū Aegialiam urbem intra continentem condidisse: cuius arx eo loco fuerit, ubi nunc est Mineruę templum. Ex Aegialeo autem, Europem natum, ex quo Telchinem, unde Apin: qui eô potentia creuit, antequam Pelops in Olympiam ueniret, ut ager omnis qui intra Isthmum positus est, ab eius nomine Apiæ nomen acceperit. ex Apide Thelxion progenitus, ex quo Aegyrus, unde Thurymachus: inde Leucippus, qui nullos liberos mares suscepit, sed filiam Calchiniam, quam Neptunus (ut fama est) compressit, & ex ea natum filium Leucippus educauit, ac moriens ei regnū reliquit. Puero nomen erat Peratus. Quæ uerò de Plemnæo huius filio referūtur, magna mihi uidentur admiratione digna. nam quotquot ex uxore ei nascebātur, statim simulac uagire incipiebant, unà effundebant uitam. quāobrem deorū mater Plemnæi misericordia cōmota, Aegialeā peregrinæ mulieris habitu uenit, & Orthopolim Plemnæo filium educauit. Orthopolidi filia fuit Chrysorte, quam suspicio est ex Apolline filium genuisse, qui Coronus appellabatur. Huic nati sunt, Corax, & eo iunior Lamedon. Corax sine liberis uita excessit. quo tempore Epopeus in Thessaliam cum uenisset, imperium occupauit. eoque regnante, hostilem exercitum in suos tunc primum fines uenisse narrant, cum semper antea in pace uixissent. idque hac de causa euenit. Antiope Nyctei filia pulchritudinis fama in Græcia celebris erat: quam etiam non Nyctei filiam, sed Asopi, qui Thebanos fines & Platæenses dirimit, esse aiebant. Hanc Epopeus, uel

Aegialeus. *Aegialis.* *Apis.* *Apia.* *Peratus.* *Plemnæus.* *Orthopolis* *Antiope.*

us, uel quod uxorem petijsset, uel regij imperij confidentia audacior, rapuit. Ergo ubi in aciem Thebani instructi superuenerunt, eo prælio Nycteus uulneratur, sed & Epopeus quoq; pugna uictor, uulnus accepit. Itaque Thebani Nycteum ex uulnere laborantem, Thebas retulerunt.

FINIS.

HACTENVS PAVSANIAM HISTORICVM NOBILISSIMVM.
Domitius Calderinus Veronensis è Græco transferebat.

RERVM

Atticis & Corinthiacis memorabilium

INDEX.

Aquæ.

Cate-

Demetrius

INDEX.

Medorum

Myca-

r 3 Thelxion

Vir